



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titvlvs XLI. De celebratione Missarum, & Scaramento Eucharistiæ, &
divinis officiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

CAPUT X.

(a) Idem *eidem*.

SI Ecclesia non consecrata, cujuscunque semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta, Saquâ protinus exorcizata lavetur, ne divinæ laudis organa suspendantur. Est tamen, quam citius fieri poterit, consecranda.

NOTÆ.

1. (a) **Dem.**] Gregorius videlicet IX. *eidem* Episcopo Astoricensi.

COMMENTARIUM.

2. **U**T Ecclesia violetur, polluaturve, necessarium non est, ut sit consecrata, aut benedicta; sed tantum destinata, & deputata ab Episcopo ad publicam Missarum celebrationem, ut docuerunt Azor *tom. 3. instit. moral. lib. 3. cap. 31. quest. 4.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 23. sect. 3. num. 27.* Barbosa *lib. 2. de jure*

Eccles. cap. 4. num. 12. Unde in presenti textu jubetur à Gregorio IX. ut Ecclesia non consecrata, violata prius reconcilietur, & postea consecretur; & eo casu potest Ecclesia reconciliari per simplicem presbyterum, quia adhuc non fuerat consecrata. Martha *de juridict. p. 2. cap. 17. num. 4.* ut hodie etiam Ecclesiæ, quæ tantum sunt benedictæ, per presbyterum reconciliantur. De privilegiis autem regularium circa consecrationem Ecclesiarum, & earum reconciliationem, late agunt P. Henao *ubi supra*, Ægidius Vossius *tom. 1. oper. moral. titul. 6. per totum.* Murga laudatus proximo commentario.

TITVLVS XLI.

De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis.

CAPUT I.

Ex (a) Concilio Agathensi.

Presbyter (b) manè matutinali officio expleto, (c) penum servitutis suæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persolvat; (d) ita tamen, ut horis competentibus (e) juxta possibilitatem, aut à se, aut ab scholaribus (f) publicè compleantur. Deinde peractis horis, & infirmis visitatis, si voluerit, exeat ad opus turale (g) jejunus, (h) ut iterum necessitatibus peregrinorum, (i) & hospitem, sive diversorum commentium, infirmorum, atque defunctorum succurrere possit, usque ad statutam (k) horam pro temporis qualitate, Propheta dicente: Septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius (l) numerus à nobis impletur, si matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorii tempore nostræ servitutis (m) officia persolvamus: nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Mediâ nocte surgebam, &c. Ergo his temporibus laudes Creatori nostro super judicia suæ justitiæ referamus.

NOTÆ.

- (a) **Agathensi.**] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub tit. de suffragiis, cap. 1.* at verò apud Carnotensem p. 6. *Decreti. cap. 181.* Burchardum *lib. 2. Decreti. cap. 184.* Gratianum *in cap. presbyter, 95. dist.* habetur, *ex Concilio Nannet. can. 60.* & ex eo citat textum hunc Fi-

liefacus *de origin. paræc. cap. 6.* Sed cum tantum canones 27. illius Concilii editi sint, fatendum est, canonem hunc non reperiri in eo Concilio, nec in Agathensi: ab illis autem verbis, *septenarius numerus*, deductus est textus hic ex regula D. B. nediçi, *cap. 16.* ibi: *Ut ait Propheta, Septies in die laudem dixi tibi: qui septenarius numerus sacratus à nobis sic impletur, si matutino, Primæ, Tertiæ,*

Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorium, tempore nostra servitutis officia persolvamus, quia de his diurnis horis dicit Propheta: Media nocte surgebam ad confitendum tibi.

2. (b) *Presbyter.*] Presbyterum in presenti recte accipit pro parcho Filefacus de origine paroc. cap. 6. fol. 623. & inde probat veterem Ecclesie Gallicanæ morem recitandi horas canonicas, etiam in Ecclesiis parochialibus.

3. (c) *Pensum.*] Consonat Carnotensis epist. 19. ibi: *Raro etiam canonicum pensum determinatis horis solvere non valeamus.* Quod autem hic PP. pensum vocarunt, prisici scriptores cursum appellabant: Sanctus Macharius cap. 9. sue regule ibi: *Cursum monasterii super omnia diligas.* Fortunat. epigr. 10.

*Carmine Davidico divina poemata paucis
Cursibus assiduis dulces revolvit opus.*

Sanctus Bonifacius epist. 17. Wigbertus Presbyter, & Mengingordus Diaconus regulam vestram vobis insinuant, & speciales horas, & cursum Ecclesie custodiunt. Bandomina in vita sanctæ Radegundis lib. 2. cap. 18. ibi: *Stabat quandoque nocte ante cellulam suam, corde, & ore cursum decantans.* Observavit Juretus in notis ad epist. 19. Ivois, & hujus vocis etymologiam latè illustravit Haaphtenus lib. 7. *disquisit. monast. tract. 2. disquisit. 1.*

4. (d) *Persolvat.*] Unde cognoscitur vetus mos Ecclesie recitandi horas canonicas, & primarias preces ante Missæ sacrificium: quod etiam innuit Odo Parisiensis Episcopus in synodico consilio. cap. 5. dum ministrum rem divinam procurare vetat prius, quam divini officii horarias laudes, quæ matutinæ, & primæ dicuntur, ritè persolverit: Nulli, inquit, clerico permittatur fervire altari malè ornato, & nisi in superpelliceo, aut cappa clausa. Nullus bis in die Missam audeat celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate. Nullus antequam Matutinas dixerit canonicas, & Primam, præsumat aliqua necessitate celebrare Missam. Immo & hodie lethaliter peccare eos, qui non recitato matutinali officio Missæ sacrificium celebrant, docuerunt nonnulli, quos refert, & sequitur Francolinus de horis Canonicis cap. 16. num. 28. Sed hæc sententia communiter ab omnibus Moralists rejicitur.

(e) *Horis competentibus.*] Et signis desinantibus, legitur apud Burchardum, & Carnotensem, juxta morem antiquum Ecclesie convocandi clericos, vel monachos ad sonum campanæ debitis horis persolvendis: quem illustrabimus in cap. Joannes, de homicidio.

5. (f) *Scholaribus.*] Scholaris non uno, eodemque modo accipi solet in utroque jure, & apud bonæ notæ auctores, ut videre est ex congestis, & adductis à Baronio in Martyrol. die 6. Februarii; Acunna in cap. Ofius, num. 2. 61. dist. Valefio in notis ad Ammian. Marcel. fol. 32. & 33. lib. 4. Joanne Vossio lib. 3. de vitis sermon. cap. 47. Gibalino de clausur. regul. disquisit. 1. cap. 2. §. 11. & cap. 9. §. 1. Rolweido in onomast. verbo Scholaris, Grethfero ad cap. 1. Codini, Marcel. Donat. ad Ammian. Marcel. cap. 76. tom. 6. thesauri critici, Cresfolio lib. 3. *mytag.* cap. 27. Ritherursio ad Salvianum fol. 3. In presenti autem accipiuntur scholares pro psalmistis, qui erant in schola cantorum ad psallendum in Ecclesia: de qua schola plura adduxerunt Cironius ad tit. de offic.

Primicer. Platina de verbis obscuris, verbo Primicerius, Menardus in not. ad Sacram. D. Gregorii, fol. 62. Filefacus in cap. 15. §. de officio ordin. Parochi enim olim tenebantur secum habere clericos juniores ad sibi ministrandum, & ut illis absentibus horas canonicas publicè in Ecclesia recitarent, cap. nullus 11. *quasi. 1. cap. no quisque, de vita & honest. cleric.* Concil. Valense 1. can. 2. ibi: *Hoc enim placuit, ut omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundam consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores quantoscunque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant, & eos quomodo boni PP. spiritualiter nutrentes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant.* De quibus agunt Souchetus ad epist. 287. Ivois, Bosquetus ad Innocent. III. lib. 2. epist. 136. & nonnulla adduxi supra in d. cap. no quisque.

(g) *Rurale.*] Artificium honestum victui querendo, non tantum non prohibitum, verum & quandoque imperatum, præscriptumque clericis fuit, cap. 1. cap. clericum 3. cap. clericum 4. 91. dist. cap. 8. & 14. de homicid. Gregorius Turon. in vitis PP. cap. 8. de sancto Nicetio Episcopo ait: *Jam clericus in domo paterna residens, cum reliquis famulis manu propria laborat.* D. Gregorius lib. 1. dial. cap. 12. Riculphus Episcopus. Suffion, in sua constitutione, quæ extat tom. 24. Concil. can. 16. ibi: *Monemus præterea, ut presbyteri sic ruralibus, id est terrestribus, & cæteris occupationibus inserviant, quantum divinum officium non neglegant, & scholares suos modeste distringant, caste nutriant.* Concil. Colon. anno 1536. can. 30. Quibus non suppetit ex sacerdotio, honesto artificio victum quarant, sequuntur D. Pauli exemplum. Quod & jam propoluerant PP. Synodi Nicœn. can. 15. Epiphanius hæres. 80. fidem facit suo tempore sacerdotes solitos esse propriis manibus operari. Exemplis Apostolorum, & aliorum Sanctorum id illustrant, ac commendant Lindmeter lib. 2. de veter. cleric. p. 1. cap. 51. & 2. p. cap. 6. Baronius anno 52. & 358. Espenceus ad D. Paulum lib. 2. *digesti.* cap. 6. Robertus lib. 2. *rer. judic.* cap. 2. Petrus Gregorius lib. 2. *parit. tit. 9. cap. 8.* Fragolo de regim. Christi. Reipub. p. 2. lib. 10. *disput. 22.* & jam notavi in can. 19. Concilii Illiber. Menardus ad concord. regul. cap. 55. §. 5. faciunt textus in cap. 8. & 14. de homicid.

(h) *Jejunium.*] Videlicet ut ita possit iterum Missæ sacrificium celebrare, ut sic subveniat necessitatibus peregrinorum, & commentium, qui illud audire possint; item infirmorum, ut illis per modum viatici communionem præstare possit; tandem & subveniat defunctis, ut cum Missæ sacrificio sepeliri possint: & ita de hac subventionem per iteratum sacrificium Missæ textum hunc accipiunt Antonius Ruivius in assert. cathol. contra Erasmus, lib. 5. *errore 9.* Margallus in exposit. hujus tituli, Speculum conscientie tract. 3. cap. 13. §. 9. quos refert & sequitur P. Henao tom. 1. de sacrif. Missæ, *disput. 22. sect. 2.* idque important verba illa, quæ sequuntur: *Ut iterum, &c.* quæ satis innuunt, presbyterum, de quo in presenti, antequam ad opus rurale exisset, Missæ sacrificium celebrasse, eumque debere manere jejunium, ut iterum celebrando posset subvenire prædictis fidelibus.

libus, juxta ea, quæ infra dicemus in cap. ex parte.

(i) *Peregrinorum, hospitum, sive diversorum commensantium.* Olim enim advenientibus fidelibus, communionis gratiæ eis Eucharistiam fuisse participatam, probant Joannes Dartis de Eucharistia cap. 8. Claudius Espenceus de adorat. Eucharist. lib. 2. cap. 4. per totum. Unde ut presbyter possit ipsis corpus Domini administrare, jubetur in præsentî canone, ut si voluerit, exeat ad opus rurale jejunos, quia olim non solum ad celebrandum Missæ sacrificium, verum & ad ministrandam Eucharistiam jejunium naturale in ministro desiderabatur.

(j) *Defunctorum.* Inter alias Ecclesiæ Preces tempore sepulturæ fidelium jam à primis Ecclesiæ sæculis usque ad nostra receptas, & utilitatis, præcipua fuit Missæ celebratio, ita ut absque Missæ sacrificio fas non esset cadavera Christianorum sepulturæ tradere. D. Augustinus lib. 12. confess. cap. 12. ubi dum de funere matris suæ sanctæ Monicæ agit, ita ait: *Cum corpus elatum est, imus, & redimus sine lachrymis; nam nec in eis precibus, quas sudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in aliis precibus ego steter, sed toto die graviter in occulto maestus eram.* Possidius in obitui ipsius Augustini: *Nobis adstantibus, & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormivit in pace, & nobis coram positus, pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est.* Fortunatus de obitu sancti Medardi apud Surium die 8. Junii: *Corpore sancto composito; & delato ad Ecclesiam, nocte illa exequiale cum multa devotione celebraverunt vigiliam; mane verò facto, cum Episcopi, quibus interesse contigerat, suum defuncto celebrassent officium, &c. perventum est tandem ad sepulturam: Episcopi cum Abbatibus, peractis prius quæ Dei erant, sanctissimum illud corpus terra decentissimè commendant.* Et Paulinus recitans sepulturam Sancti Ambrosii, nec non S. Bernard. in vit. S. Malac. cap. 18. Gregorius Turon. in obitu Sancti Galli Episcopi, qui post obitum delatus in Ecclesiam donec comprovinciales ad eum sepeliendum convenirent, jacuit ibi per triduum, assiduò ipso adstante psallentis cum magna frequentia populi: Episcopi autem quarta die advenientibus, eum de Ecclesia levaverunt, & portantes in Sancti Laurentii Basilicam, ibi sepeliunt. Et de Lupicino Recluso; qui psallentium turmis cum crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis ad locum sepulturæ deductus, celebratis Missis, cum summo honore, gaudioque sepultus est. Itemque de Palladio Arverno, qui cum se propriis manibus interemisset, sepulturæ mandatur; sed non juxta Christianorum cadavera positus, nec Missarum solennia meruit: Quin immò nec absque sacrificio fas fuisse sepulchrum operire, disertè docet intransitu S. Radegundis Reginæ idem Gregorius Turonensis de gloria Confessor. cap. 106. Facit Concil. Valentin. Hispan. can. 4. ibi: *Ut Episcopus, qui post mortem fratris (hoc est alterius Episcopi) ad eum sepeliendum solet invitatus occurrere, infirmum magis, & adhuc in corpore positum visitet, ut aut de revelatione consecratus gaudeat, aut recedentem à seculo post obitum in ejus commendat.* D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

datione sacrificium Dei, mox sepulturæ tradatur. Diligentissime Victor Uticensis lib. 2. de perseg. Vandal. ubi populos catholicos in ea persecutione pulsos in exilium sacerdotibus sic lamentanter describit: *Quibus nos miseros relinquitis? Qui baptizati sunt parvulos fontibus aqua perennis? Qui probis penitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentiæ obstrictos, peccatorum vinculis solvitur? Qui nos solennibus orationibus sepeliri sune morientes? A quibus divini sacrificii ritus exhibendus est consecutus.* Illustrant Vicecomes volum. 3. de ritibus Missæ, lib. 4. cap. 7. Spondanus de cæmeteriis sacris, p. 3. lib. 1. cap. 16. Unde ut defunctorum etiam necessitatibus presbyter subvenire possit, in præsentî docetur, ut jejunos exeat ad opus rurale; aliàs enim si post prandium aliquis fidelis sepeliendus erat, tantum cum precibus, & orationibus tumulabatur. Concil. Carthag. 3. can. 29. ibi: *Ut sacramenta altaris non nisi à jejunis celebrentur, &c.* Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, sive caterorum, commendatio faciendæ est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam pransi inveniuntur. Si verò presbyter erat jejunos, poterat iterum Missæ sacrificium offerre pro tumulando defuncto, cap. sufficit, de consecr. dist. 2. Quod fecisse sanctum Hiberium Christianensem habent ejus acta apud Surium die 7. Aprilis, licet ad alium casum canonem illum referat Dionysius Cisterc. in 4. dist. 8. quest. 3. art. 2. dub. 2.

(k) *Statutum horarum pro temporis qualitate.* Ut hæc verba exponamus, sciendum est, horas diei, tertiam, sextam, nonam æstimari, & computari ab eo tempore, quo luce fruimur; licet enim dies more Romano à media nocte incipiat, & in aliam mediam noctem decurrat; ut quod factum est sub spatio 24. horarum, eodem die factum intelligatur; l. mora; ff. de feriis; notavi in cap. litteris, de tempor. ordin. attamen cum horam tertiam, sextam, nonam, & vesperam diei dicimus, aliter rem hanc accipimus, ita videlicet; ut totum id ipsum; quod sub luce decurrit; in quatuor æquales partes dividatur; quemadmodum & nocturnum tempus in quatuor vigiliis parti solet. Prima parte diei elapsa dicitur hora tertia, quia tres horæ decurrerunt; in nostra computandi ratione; secunda dicitur hora sexta lucis, quæ est meridies; tertia dicitur hora nona, quia est nona post lucem; quarta autem pomeridiana; quarta dicitur hora vespertina, quæ est ad occasum solis. Ita explicant Baronius rom. 1. ann. 34. Censorinus de die natali, Rosinus lib. 4. antiq. cap. 5.

Deinde sciendum est, Apostolorum ætate; & in sequenti nullam sacro conficiendo certam horam præfinitam fuisse propter sævas persecutiones, ut probant Vicecomes volum. 3. lib. 3. de Missæ ritibus; cap. per totum; sed pacè Ecclesiæ datâ; & tyrannide ipsâ deserviente, ubi facultas fuit publicè celebrandi Missæ sacrificium, observari cœpit; ut non nisi statuta horâ offerri posset. Thelephorus enim epist. 1. relatus à Gratiano in cap. nocte, de consecr. dist. 1. ita statuit: *Noctè sanctæ natiuitatis Domini Missas celebrent; reliquis enim temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sans celebranda, quia in eadem horâ* Dd dd Domi.

Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur. Et licet P. Vazquez 3. part. disputat. 232. cap. 3. num. 30. affirmet verba illa non reperiri inter epistolas ipsius Pontificis, tamen hoc Thelephorum statuisse testatur Damafus in lib. Pontificali, ubi de Thelephoro ita ait: *Hic fecit, ut in natali Domini nostri Jesu Christi, noctu Missa celebrarentur, cum omni alio tempore ante hora tertia cursum nullus præsumeret Missam celebrare, quia eâ hora Dominus noster ascendit in crucem.* Similia refert Anast. Biblioth. in vita ejusdem Amalar. lib. 3. de Eccles. offic. cap. 42. ibi: *Memoratus Papa Thelephorus scripsit, quo tempore primo diei liceret Missam celebrare. Legitur in gestis Pontificalibus, dixisse memoratum Papam, ut ante hora tertia cursum nullus præsumeret Missas celebrare.* Consonat Vvalfridus cap. 23. de Ecclesiast. rebus: & Luitprandus cap. 7. de vitis Pontific. Romanorum ait: *Ante horam diei tertiam Missam celebri prohibuit.* Et usus ille celebrandi post horam nonam diutius in Ecclesia invaluit, ut constat ex cap. & hoc, de consecrat. dist. 1. cuius verba à Gratiano, Ivone, & Burchardo tribuuntur S. Augustino; sed sunt Theodulphi ad suos compresbyteros; num. 45. & 46. Missa (inquit Aurelianensis Antistes Theodulphus) *que per dies Dominicos peculiare à sacerdotibus sunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solennibus, que hora tertia canonicè sunt, abstrahatur, quia pessimum est usus apud quosdam, quod in diebus Dominicis, sive in quibuslibet festiuitatibus, mox ubi Missam celebrare, etiam si profuerint sit, audierint, abscedunt, ut per totum diem à primo mane ebrietati, & comestationi potius quam Deo deseruiant. Admonendus est populus, ut ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem Ecclesiam Missarum solennia, & prædicationem audiri conveniant, & sacerdotes per oratoria nequaquam Missas, nisi tam cautè, ante secundam horam celebrent, ut populus à publicis solennitatibus non abstrahatur: sed sive sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt; sive populus (ut prædiximus) in unum ad publicam Missarum celebrationem conveniant. Et ex Concilio Aurelian. 3. can. 14. ubi ita statuitur: *De Missarum celebritate in præcipuis dumtaxat celebratibus id observari debet, ut hora tertia Missarum celebratio in Dei nomine inchoetur: quo facilius intra horas competentes ipso officio expedito, sacerdotes possint ad vespertina officia, id est in vespertino tempore convenire; quia sacerdotem vespertinis officiis ab Ecclesia salubris præcipue diebus nec decet deesse, nec convenit.* Sidonius Apollin. lib. 5. epist. 17. ibi: *Cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine. Clerici, monachique psalmicos concelebraverant, quique in diversa secessimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præsto futuri, cum sacerdotibus res divinas facturi.* Ubi plura congestit Savarus, qui rectè notavit in cap. non liceat 12. dist. 44. horam tertiam sacram appellari, quia sacris missarum solennibus dicata erat: quod & docuit Durantius lib. 2. de ritibus Eccles. cap. 7. num. 1. Ex quibus auctoritatibus, non solum Thelephori sanctio probatur, verum & ejus sanctionis ratio constat, quam latè, & doctè illustrat P. Henao tom. 2. de sacrific.*

Missæ, dist. 21. sect. 3. num. 39. cum sequenti.
 Cum hæc ita sint, non deferunt tamen certi; præfinitique dies, quibus meritis, aut vespere Missæ sacrificium celebraretur; nam in diebus jejunii, præcipue quadragesimalibus, Missæ sacrificium non offerebatur; nisi ex hora nona, vespertino officio expleto, ut constat ex cap. solent 50. de consecrat. dist. 1. qui canon malè tribuitur à Gratiano Concilio Cabilon. cum sit Theodulphi Episcopi Aurel. in epistola ad compresbyt. 11. 39. Concil. Brachar. 1. can. 16. Brachar. 2. can. 9. Gerundense can. 3. P. Blesensis sermon. 11. de Quadrage. D. Bernardus serm. 3. de Quadrage. Ex quibus & aliis id latè probant Lerdia in advers. cap. 138. Albalpiæus lib. 1. obs. cap. 14. Filefacus de Quadrage. cap. 5. Baronius tom. 1. anno. 34. num. 61. P. Henao d. sect. 3. num. 44. unde derivatum est ad hodiernum usque tempus, ut post horam nonam recitatam cantetur Missa in diebus jejunii, & in Quadragesima dicantur Vespere mane ante prandium. Etiam in vigilia Paschæ resurrectionis Domini Missa nocte celebrabatur. Concil. Aurelian. 1. can. 2. cap. quod à Parribus 4. 75. dist. latè probant Vicecomes volum. 2. lib. 1. de Missæ ritibus, cap. 30. & volum. 3. lib. 3. cap. 6. P. Henao d. sect. 3. num. 46. cum sequenti. Unde tam obvia mentio Missæ matutinae, & vespertinae in antiquis Ecclesiæ canonibus; de quibus Missis latè egerunt Epenceus de ador. Eucharist. cap. de triplici Missa. Vicecomes d. lib. 3. cap. 29. & 30. P. Henao d. sect. 3. num. 49.

(1) Septenarius numerus.] Hic septenarius numerus magna continet mysteria; liquidem Sancti Spiritus dona septem sunt, de quibus D. Joannes in Apocalypsi, cap. 5. ibi: *Vidi agnum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt spiritus Dei.* De quibus Elias cap. 11. loquens de Christo aiebat: *Requieverunt super eum spiritus septem.* Huc tendunt scripte illi oculi super lapidem, de quibus Zacharias cap. 3. septem columna, de quibus legitur Proverb. cap. 9. *Sapientia edificavit sibi domum, & excidit columnas septem.* Septem boves, qui videbantur ascendere de fluvio, Genes. cap. 41. septem spicae, que pullulabant in culmo uno, in eod. m. textu: septem signacula in lib. 1. cap. 5. Apocalypsi. septem spora repletae fragmentis, Matthæi cap. 13. septem buccinae, quarum usus erat in jubileo, Josuæ cap. 6. *Filius hominis in medio septem cornelaborum, habens in dextera septem stellas.* Apocalypsi cap. 2. septem Ecclesiis scribit Joannes, & septem sunt Angeli eorum, cap. 1. Apocalypsi. In visione Ezechielis cap. 40. septem gradus erant ascensus atrii: *Elifus in purificando Nabaman dixit: Lavare septies in Jordane, lib. 4. Regum, cap. 5.* Item septem animalia fuerunt in arcam immissa per Noè, Genes. cap. 7. propter sacrum quoddam mysterium, ut exponit Francisc. Georgius tom. 1. problem. sect. 2. problem. 87. & docuit D. Ambrosius in cap. nuptia 32. q. 2. Tandem septem sunt Ecclesiæ Sacramenta, & septem Psalmi penitentiales. Latè de mysteriis hujus numeri, & ejus mystica significatione egerunt S. Cyprianus de exhort. Martyr. cap. 11. & lib. 1. testimoniu adversus Judæos. cap. 20. Sanctus Augustinus quaest. 42. in Denter. & lib. 11. de civit. Dei, cap. 30. S. Hilarius in præfat. psalm. & in psalm. 118. in illis verbis: *Septies in die S. Basilii* homil.

homil. 11. hexaëmer. S. Hieronymus in cap. 4. Zachar. S. Gregorius lib. 1. moral. cap. 7. Alcx. Farræ in proœmio sui sept. Marfilii Ficinus in Platonem, dialog. 10. Francisc. Alumnus Ferrarientis in sua mundi fabrica, in lib. 9. quantitat. verbo Septem. Macrobius in somnium Scipionis, & Aulus Gell. lib. 3. noct. Attic. cap. 10. ac tandem plura de hoc numero disertè notant Martin. Cantipetrenf. in hypotypos. lib. 6. capite ultimo. Marfilii de aqua benedicta. sect. 1. ex num. 85. Alfonsus nolter in proœmio 7. partit. Canonicius tom. 1. ad 4. Aphorism. Hippocr. fol. 753. P. Bungus de myster. numer. in hoc numero. Rectè ergo statuta sunt septem horæ canonicæ, quarum peculiari rationes infra assignabimus.

14.

(m) *Nostra servitutis officium.* Divinum officium variis nominibus appellatur. Apud Græcos canon dicitur. Antiochenus homil. 105. ibi: *Psalmodia nostra canon appellatur, & quemadmodum colonus nisi dederit plenam, & bonam mensuram suam, in vincula conjecitur, & cruciatur; sic monachus, qui negligit suum canonem, seu mensuram, cui adstrictus est, Deo quotidie persolvere, à Dei gratia excidit, & traditur inimicis suis.* Joannes Cosmus in Prato spiritali, de Sancto Cosma ait: *Orto sole, cum implest canonem, sedebat legens in Sanctis Evangelis usque ad collectam.* Dicitur etiam ordo psallentium. Concil. Narbonense can. 2. *Hoc quoque definitum est, ut in psallendis ordinibus per quemque psalmum gratia dicatur omnipotenti Deo.* Gregorius Turon. de gloria confessor. capite 37. ibi: *Qui cum apud alios juxta regulas monasteriorum ordini, & lectioni insisteret. Dicitur etiam collecta.* Pachomius in sua regula, articul. 2. *Quando ad collectam inba insonnerit per diem, qui una oratione tardius venerit.* Psalmodia etiam appellatur, item solennitas, synaxis, agenda, missa, ut probat, & exponit Haaphtenus *disquisit. monastic. lib. 7. tractat. 1. disquisit. 1.* vulgatissimo usu officium hoc dicitur *Hora canonica*, quia definitis horis ex Ecclesiæ instituto recitatur. Et licet nonnulli Interpretes, tam veteres, quam recentiores, docuerint, peccatum esse lethale Missæ sacrificium offerre ante recitationem officii matutini, & Laudum, ut Navarrus, Grassis, Majolus, Francolinus, Durantius, Azor, Henriquez, & alii apud Sfortiam lib. 2. de sacrific. Missæ, cap. 6. num. 4. Cenedum in quest. pract. quest. 3. tamen contrarium, immò nullum peccatum incurri, probant Suarez lib. 4. orat. cap. 24. à num. 6. alii plures apud Scortiam ubi supra, Theophilus tom. 16. in Heteroel. spirit. sect. 1. fol. 12.

COMMENTARIUM.

15.
Conclusio
deducitur
& probatur.

EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Parochus tenetur debitis horis septem horas canonicas recitare.* Probat eam textus in capite dolentes, hoc titulo. Concil. Cabilon. 2. sub Carolo, can. 59. *Horas canonicas, matutinum videlicet, primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinam, completorium pariter celebrent.* Aquilgran. sub Ludovico à cap. 126. usque ad 130. cap. 2. de offic. custod. D. Isidor. lib. 1. de divinis offic. cap. 22. Divus Clemens lib. 8. constit. cap. 40. *Preces vestras facite diligenter.* D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

lo, tertiâ horâ, sextâ, nonâ, vespere, & in galli cantu. Diluculo gratias agentes, quoniam illuminavit nos Dominus expulsa nocte, & indulto die. Tertiâ, quoniam illâ horâ Dominus sententiam Pilati accepit. Sextâ quoniam tunc crucifixus est. Nonâ quoniam omnia commota sunt, crucifixo Domino, perhorrescentia impiorum audaciam, & non ferentia ignominiam Domini. Vespere gratias agentes, quod dedit nobis noctem diurnorum requiem. In galli cantu, quoniam eo tempore nunciatur adventus Domini ad exercenda operâ lucis. Alia jurâ testimonia, & Patrum sententias, quæ per argumentum adduci possunt, & in quibus agitur de horis canonicis, congesterunt Crespetius in summa, verbo Horarum, Antonius August. in epis. juris lib. 19. titulo 13. Iodocus Coccius lib. 8. thesauri fidei cathol. artic. 9. Illustrant ultra congestos hic à Barbosa & Garranna, Petrus Gregorius lib. 9. partit. titul. 20. cap. 2. Baronius anno 34. Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. de horis canonicis, cap. Lantdmeter. lib. 2. de veteri cleric. cap. 61. Corjolanus in breviario, anno 556. Cresolius lib. 3. mystag. cap. 6. Avendanno de metu lib. 2. cap. 42. Belcus de statibus hominum, verbo Clericorum. Narbona in horograph. hora 1. Tamburin. de jure Abbat. disput. 15. Acunna in cap. proposuit, 82. dist. & in hoc textu, 91. dist. Kochier in face bisfor. cent. 2. cap. 80. Haaphtenus *disquisit. monast. lib. 7. tract. 2. disquisit. 2.* Ripa de nocturn. temp. cap. 94. Scortia in select. epistol. 116. theorem. 315. Turrian. ad D. Clementem lib. 8. cap. 33. Carrier tom. 2. Digest. fidei cathol. fol. 573. Beyerlinck. verbo canonica hora, tom. 2. Conradus Kling lib. 3. disput. cap. 46. per tot. plures ex Moralists, quos refert Garcia in summa, tract. 2. difficult. 1. per tot. Francolinus, & Bartholom. à Sancto Faulto integris libris de horis canonicis.

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo: Apud D. Lucam, cap. 12. *impugnatur traditâ assertio.* dicitur, oportere semper orare, & nunquam deficere: & D. Paulus etiam ad Thessalon. cap. 5. ait: *Sine intermissione orate.* Unde agebat Germanus CP. ad Episcopum Claudipoleos, 7. Synodo, actu 4. ante finem, in Ecclesiis diu, noctuque, & ut cum Psalmographo melius dixerim, vespere, & mane, & meridie benedicere Deum oportebit; maximè autem in divinis mysteriis, & in sacris officiis. Et in cap. hi qui 6. 21. g. 3. ait D. Cyprianus: *Hi qui in Ecclesiâ Domini ad ordinationem clericam promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis, & negotiis secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, & sacrificiis non recedant; sed die, ac nocte celestibus rebus, & spiritalibus serviant.* Igitur non tantùm per horas in præsentem enumeratas, verùm & continuo sine intermissione presbyteri debent orare, Deinde argui potest ex D. Clemente lib. 7. constit. cap. 25. ibi: *Ter die in hunc modum orate, preparantes ut digni sitis adoptione Dei Patris.* Quod & fecisse Daniciem legitur cap. 6. Danielis, quem expendit Tertul. advers. physicos cap. 10. & tradit Vinar. de veteri mon. lib. 2. cap. 12. num. 24. Igitur non septies presbyteri tenentur orare, ut in præsentem docetur.

Adhuc tamen defendenda est præfens assertio, pro cujus expositione sciendum est, De origine olim non solum Ecclesiæ ministros, verùm & horarum laicos,

Dd dd 2

17.

De origine

horarum

rum cano-
nicarum.

laicos, tam viros, quam feminas, convenisse in Ecclesia, ad vigiliis & cœtus antelucanos, ad canendum Christo, & Deo, & ad confederandam disciplinam: quod testatur totidem verbis Plinius, 2. in epist. ad Trajanum, ubi refert, præter oblationem non sacrificandi, nihil aliud quam cœtus antelucanos de sacris Christianorum comperisse. Expresius Divus Ambrosius, sive Maximus, sermon. 3. post primam Dominicam Quadrages. Moneo, inquit, ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam; & qui potest, omni nocte ad matutinum officium veniat. Qui vero longè ab Ecclesia manent, omni Dominica studeant ad matutinum venire, idest viri, & femina, juvenes, & senes, præter infirmos. Sozomenus libr. 6. histor. Eccles. cap. 33. & 34. & lib. 2. cap. 8. Theodoretus libr. 2. cap. 13. Ex quibus & aliis illustrat Zerda in advers. cap. 184. num. 9. & de horis matutinis solenni precatio destinatis etiam apud Gentiles agunt Arnobius libr. 7. advers. Gent. Apulejus libr. 2. metamorphos. Eusebius libr. 3. preparation. Evangelic. cap. 2. & de variis horis apud Aegyptios per sacerdotes recitatis agunt Porphyrius libr. 4. de abstinent. pag. 369. sed de his horis, & vigiliis jam egi in can. 26. Concil. Illiber. In præsentem enim textum, & in d. cap. dolentes, agitur de horis canonicis publicè, vel privatim à clericis recitandis: circa quas prænotandum est, neminem latère, ab ipsi Apostolicis temporibus horarum canonicarum cœpisse exordium; utpote de quibus expressè egerunt S. Clemens libr. 8. constitut. cap. 40. D. Cyprianus libr. de oratione Dominica, Athanasius libr. de virginibus, Hieronymus epist. 7. 8. 22. & 37. Chrysostomus homil. 59. ad populum. Basil. tum in instit. moral. tum in regulis fustis, num. 37. Cassianus libr. 3. de instit. collar. 7. quorum, & aliorum verba refert Jodocus Coccius supra, & notavit Ambianus ad Tertull. de exhort. castit. cap. 10. observat. 1. Et licet Polydorus Vergil. libr. 6. de invent. rerum, cap. 2. existimaverit legem Ecclesiasticam de his horis canonicis perfolvendis à Pelagio I. seu II. latam fuisse, quod probare intendit ex cap. Eleutherius, dist. 91. veriùs tamen credo, Pelagium, quod antea consuetudine antiqua observabatur, lege deinde latâ perpetuò observari jussisse, ut docuit Corjolanus in Breviario 555. Unde constat, audiendos non esse Panormit. in præsentem, num. 3. Antoninum p. 2. tit. 9. cap. 12. §. 1. Angelum verbo hora, q. 6. Tabienam eodem verbo, q. 15. Armil. num. 11. qui putant obligationem hanc provenire à jure divino: nam ceteri communi consensu affirmant, eam esse solum de jure Ecclesiastico: & ratio est, quia nec ex Scriptura, nec ex Ecclesiæ traditione, nec ex Sanctorum Patrum testimonio colligitur, horas canonicas jure divino institutas fuisse: tum quia communiter appellantur horæ canonicæ, quia per sacros canones præscriptæ, & ab Ecclesia institutæ sunt ad laudandum Deum. Apud Clementem libr. 8. constitut. Apost. cap. 30. extat Apostolica constitutio hujusmodi: Precariones facite manè, tertiam, sextam & nonam horam, & vespere, usque ad galli cantum. Apud Basilium in regulis disputatis, interrog. 37. & serm. 2. de instit. monachor. ubi explicat illud Apostoli: Sine intermissione orate. Et illud: Noctè & die laborantes, sic habetur: Neque

verò quamquam hanc assidue, atque ad omnium momentis adhiberi oportet, gratiarum actionem & lex ipsa præcipit, & nos eam vitæ necessariam, cum natura, tum ratione docuimus, propterea illis statim temporibus præscriptæ orationes negligendæ veniunt, quas observari in conveniunt solentibus, & quotidianum. Et deinde commemorat horam matutinam, tertiam, sextam, novam, vespere, completorium, & mediam noctem. Cyprianus in exposit. orat. Dominic. circa finem, Hieronymus ad Eustochium, epist. 22. de custodia virginum. & in epist. 28. ad eandem, de obitu puella. Chrysostomus homil. 59. ad populum, Ambrosius libr. 7. in Lucam, Athanasius libr. de virginum. sive excicit. Hilarius in psalmo 118. docuerunt Sylvester verbo Hora, quest. 8. Bellarminus libr. 1. de bonis oper. cap. 19. Toletus libr. 2. cap. 4. Azor d. lib. 10. cap. 1. quest. 7. Suarez d. lib. 4. cap. 23. n. 16. & cap. 27. num. 38. Filiuc. tom. 2. tract. 23. cap. 3. Sed si dicas horas canonicas communiter appellari officium divinum, & ita à jure divino esse institutas: respondeo, horas canonicas appellari divinum officium, non à causa instituentis, sed potius à materiali, & finali; quia divinas laudes continent, & ad Deum laudandum diriguntur, & ordinantur.

Secundò sciendum est circa numerum horarum non consentire Doctores. Pro septenario numero communior est sententia Canonistarum, & Theologorum, eamque sequuntur Suarez, Francolinus & alii supra laudati; quibus accedit quod Isidorus Hispalensis libr. de Eccles. offic. cap. 19. Valfredus Strabo de divin. offic. cap. 15. Rupert. libr. 1. cap. 1. & D. Basilus libr. 1. de instit. Monach. septem tantum enumerat horas, ibi: Verum quoniam apud eundem David legitur: Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ; tempora autem illa, quæ diximus, neutiquam septenarium orationis numerum consueverunt, bipartito dividenda oratio meridiana est, quo perpetua nobis hac formula sit, septies per singulas dierum conversiones laudibus celebrandi. Cassianus quoque libr. 3. instit. ex eodem Psalmo 118. deducit, septem esse horas canonicas, ibi: Septem illas significat vicis, quibus se monachorum pia devotio consolatur, matutinam, tertiam, sextam, nonam, lucernariam, completorium, nocturnos. Sed octo esse horas defendunt Sanctus Antoninus 3. p. tit. 10. §. 4. Archid. in præsentem textum, 91. dist. Quidam verò utramque sententiam conciliare volentes ajunt, nunc solum esse septem, olim tamen, & maxime apud monachos, fuisse octo: ita Turrissem. in hoc textum, sub 91. distinct. Azor. d. tom. 2. libr. 10. cap. 1. Sed verius Radulfus Tungerensis libr. de canonicis observat. propos. 14. ait: sæculares jungere vigiliis matutinis laudibus, & abusive utrumque appellare matutinas. Et ante eum Hugo Victorinus libr. de Eccles. offic. de octurnali agens officio sic scribit: Hoc officium secundum usum monachorum oratione, sicut cetera, terminatur, in quo primariam servare videntur institutionem: nostra autem consuetudo humana infirmitatis parcenti, & labori, officio prædicto laudes matutinas continuat, & oratione una duo claudit officia. Facit & præfens textus deductus ex auct. cap. 16. regule Divi Benedicti, ubi Sanctus post septem horas enumerat vigiliis matutinas, ut diversitas ab aliis, ut exponit Haaphtenus libr. 7. dist. 91.

disquisition. tractat. 2. disquisit. 4. Cur autem his horis specialiter ut oretur ab Ecclesia introductum sit, varias rationes adducunt Sancti PP. Cassianus lib. 3. instit. cap. 3. inter ceteras eam reddit rationem, quod in his horis ille Evangelicus Paterfamilias operarios conduxerit in vineam suam. Ita enim & ille primo mane conduxit se describitur, quod tempus designat matutinam nostram solennitatem. Deinde tertia, indefexta, post hanc nona, ad extremum undecima, in qua lucernalis hora signatur. Aliam & pulchram adducit D. Cyprianus de orat. Dominica, in fine: sed illa precipua assignari potest, quod horæ divinis laudibus deputatæ, insignibus redemptionis nostræ mysteriis sint celebres: matutina laudes memoriæ resurrectionis Jesu-Christi consecratae sunt. D. Cyprianus ubi supra, ibi: *Nam & mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur.* Et Divus Hieronymus ad illud Marci, cap. 16. *Et valde mane una sabbatorum,* ait: *Ut tunc laudes Christi tota caeteris secundum exemplum harum foeminarum Ecclesia, quando genus humanum exemplum suæ resurrectionis animavit.* Prima quæ recitatur jam lucis orto lydere, Hugone Victorino teste in speculo Ecclesie, cap. 3. memoriam refricat misticum vementium ad monumentum orto jam sole: cui aliam adjuncti rationem Rupertus lib. 1. de divin. offic. cap. 2. Tertiæ etiam mysterium assignat idem Rupertus dum ait: cap. 3. *Nam hac hora Dominus Jesus spinis coronatus, & linguis Judæorum crucifixus est.* Et Divus Clemens lib. 8. constit. cap. 40. ait: *Preces vestras facite horâ tertiâ, quoniam illâ horâ Dominus sententiam Pilati accepit.* Cui & aliam addunt deductam ex adventu Spiritus sancti, Divus Isidorus, & D. Cyprianus ubi supra. Basilius lib. 1. instit. monach. Horâ sextâ, ut inquit Cassianus d. lib. 3. cap. 3. immaculata hostia Dominus noster, atque Salvator oblatum est Patri, crucemque pro totius mundi salute confcendens, humani generis peccata diluit. Nona exhibet nobis vitam nostram morientem: unde ait Rupertus lib. 1. de divin. offic. cap. 5. *Nonâ horâ verè in laudem Dei clamamus, quando clamans Dominus Jesus voce magnâ emisit spiritum, latrone admisso in paradysum.* Vespertina hora designat, Cassiano teste d. lib. 3. cap. 3. quod vespere à Domino Salvatore cenantibus Apostolis traditur, eum initiaret Ecclesie sacrosancta mysteria: cui addit Rupertus d. lib. 1. cap. 6. item in vespere sepelitur. Completorium, juxta eundem Rupertum ibi, cap. 7. quod jam egresso Judapavere cepit Jesus, & cadere. Nocturnæ autem vigiliæ Christi nativitatem aperte demonstrant, ut latius illustrantes prosequuntur Gazeus in not. ad Cassianum dist. lib. 3. Haaphtenus dist. tractat. 2. disquisit. 5. Menardus ad concord. regular. cap. 34. §. 1. Hinc exponendus erat difficilis canon 9. Concilii Toletani I. cum Loaysa ibi, Gibalin. de clausur. disquisit. 1. cap. 9. §. 2. Menardo ad Divum Gregor. fol. 61. Gazeo ad Cassianum, Haller. de hierarch. folio 238. Vivat. de veteri mon. tom. 2. lib. 4. cap. 2. fol. 9. Sed jam cum illustravi in cap. 1. de cobabit. cleris.

Deinde sciendum est, quod istarum precum ratio ab initio Ecclesie distincta non erat, nec delectus habitus fuerat psalmodum, vel orationum. D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

tionum; sed cuique liberum erat sibi orationes eligere, donec psallendi, & orandi certa forma præscripta est, ne diversitas generaret in Ecclesia confusionem, aut schisma. Theodosius enim Imperator Damasum Pontificem rogavit circa annum 380. ut divinum officium pro singulis horis disponderet. Damasus autem, qui magnam D. Hieronymi litterarum, & linguarum peritiam noverat, hoc totum negotium illi commisit litteris, quæ reperiuntur tom. 1. Concilior. ubi ita eum alloquitur Pontifex: *Peto charitatem tuam, ut Græcorum prudentiam ad nos dirigere fraternitas tua delectetur, quia tanta est apud nos simplicitatis indago, ut tantum die Dominica Apostoli epistola narecietur. & Evangelii capitulum unum dicatur; & nec psallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore nostro cognoscitur.* D. Hieronymus Evangelia, & Epistolâs distribuit, psalterium emendavit, scripturasque pro qualibet hora canonice ordinavit: quod opus Damasus anno 382. in Synodo Romana approbavit, & in omnibus Ecclesiis observandum decrevit. Consequenter Gelasius circa annum 494. cum utriusque Testamenti libros eo quo nunc habentur ordine iterum recensuisset, & Manichæorum librisigni traditis, Doctorum scripta authentica à spuris, & ambiguis declarasset, in Synodo Romana profas, & hymnos canticis miscuit in officio, & deduxit ordinem lectionum, tum ex sacra Scriptura, tum ex homiliis SS. PP. per totum annum, ut refert Gratianus in cap. sancta, 15. dist. Harum precum codex breviarium dictum fuit, cujus nomenclaturæ rationem dedi in cap. 2. de pignor. Sed cum labente tempore volumen hoc corruptum esset Gregorius VII. anno 1076. in Concilio Romæ habito illud restituit juxta prisam formam, ut liquet ex cap. in die, de consecr. dist. 5. Postea Aymonius Minister Generalis Ordinis D. Francisci, commissione Gregorii IX. breviarium cum Missali reformavit, ut ex ejusdem Pontificis bullâ constat, & referunt Vivar. de veteri mon. lib. 4. cap. 4. art. 7. Radulf. Tungent. propos. 7. Vvadm. annal. Minor. anno 1244. Postea Concil. Trident. sess. 2. sub Pio IV. celebrata commisit delectis quibusdam Patribus considerare, quid factio opus esset de variis libris suspectis; idemque de Catechismo, Missali, & Breviario, quibus errores quidam irreperant; quod cum commodè ob varietatem librorum Synodus non posset judicare, præcepit, ut auctoritate Romani Pontificis id omnino terminaretur, & evulgaretur. Hinc est quod Pius V. loquens in Bulla affixa in Breviario, & Missali Romano de revocatione orandi ad pristinam regulam, dixit se exequi decreta Concilii Tridentini. Breviarium ergo dicitur restitutum, ut intelligas non esse novum: est autem editum à Pio V. anno 1568. cum hac clausula, ut in toto orbe servetur ab his, qui tenentur horas canonicas recitare, alias muneris suo non satisfacturis. Jubetque Papa omnibus Prælati, ut hoc introducant, tam in choro, quam extra chorum; permittendo tamen ut breviaria non Romæ antiquiora ducentis annis, computandis ab institutione istius (si tamen ab ipsa prima eorum institutione approbata fuissent à Sede Apostolica) conserventur ad usum officii; quæ tamen possint mutari in hoc Romanum,

iis omiffis, fi Epifcopus, & univerfum Capitu-
lum confentiant. Cauſa editionis hujus Breuiar-
rii cum abolitione omnium aliorum datur, ut
ſcilicet tollatur orandi varietas. Recognitum
dicitur hoc Pii Breuiarium à Clemente VIII. an-
no 1602. quia ob incuriam Typographorum, &
audaciam aliquorum erat depravatam. Deni-
que Urbanus VIII. anno 1631. aliqua, quæ ex
rudi Latinitate in hymnorum metris deſect-
bant ab elegantia, caſtigari, vel de integro con-
di fecit; eadem tamen, quoad licuit, ſervatâ
ſententiâ interpunctionum editionis vulgatæ Bi-
bliorum, reſtituit in Pſalmis, & Canticis: Pa-
trum ſermones, & homilias recognovit, cuncta-
que ita diligenter diſpoſuit, expolivitque, ut
Breuiarium ſit ſuis omnino numeris, ſeu per-
fectionibus abſolutum.

20.
De maſte-
ria officii
divini.

Materiam divino officio præſcripſit Eccleſia
expſalmis, canticis, hymnis, lectionibus, re-
ſponſoriis, verſiculis, benedictionibus, abſo-
lutionibus, capitulis, invitatoriis, antiphonis,
collectis, & orationibus. Prima pars divini of-
ficii eſt pſalmodia, quæ in ſe ſummæ auctorita-
tis eſt, cum ſit ſcriptura canonica veteris Teſta-
menti; nec enim alii pſalmi in officiis Eccle-
ſiaſticis permittuntur, ut expreſſè cautum fuit
in Synodo Laodic. can. 59. ibi: *Quod non
oporteat plebeios pſalmos in Eccleſia cantare.* Quem
illuſtrat Spondanus in epist. anno 60. Cresolius
lib. 3. myſtag. cap. 27. Et in Concilio Brachar. 1.
can. 30. prohibentur recitari in Eccleſia pſalmi
non canonici: quod intelligendum eſt tantum
de propriis pſalmis, ut etiam prohibitum fuit
recitare orationes non eximatas in Concilio
Carthag. 3. can. 22. Milevit. 1. can. 12. ut re-
fert Micrologus in obſerv. Eccleſ. cap. 5. Is au-
tem uſus recitandi pſalmos in Eccleſia antiſſi-
mus eſt, ut conſtat ex Dionyſio de hierarch. cap.
3. ubi initium Miſſæ ita deſcribit: *Sacerdos
converſus ad dextram aram pſalmos canere incipit,
cantanteque cum eo omnes Eccleſiaſtici ordines, Ele-
gantèr D. Chryſoſt. homil. 6. de penit. ibi: Cu-
jus rei gratiâ præ cæteris veteris Teſtamenti, novi-
que ſcripturis, librum David ſic adamarunt omnes
Chriſtiani, atque hunc ſolum ore voluerunt verſari.*
Et infra: *In Eccleſiis pernoctantium primus, &
noviſſimus, & medius eſt David: diluculo qua-
runtur hymnorum modulationes, & primus, &
medius, & noviſſimus eſt David: ſi pauſæ in ſune-
ralibus, & primus, & medius, & noviſſimus eſt
David.* Et tandem ipſe Sanctus rationem red-
dit, quia in pſalmis omnes perfectiſſimæ oratio-
nis affectus inveniuntur, & omnis generis peti-
tiones omnibus ſtatibus accommodantur, pecca-
toribus, juſtis, incipientibus, proficientibus,
perfectis; & præſertim frequens recognitio hu-
manæ fragilitatis, & neceſſitatis divini auxilii,
ejuſque poſtulatō continentur. Sed quia pſal-
morum uſus antiquior eſt lege gratiæ, & quia eis
etiam utuntur Judæi, ſpeciali Dei providentiâ
Eccleſia inſtituit, ut in fine cujuſque pſalmi glo-
ria ſanctiſſimæ Trinitati daretur per ea verba:
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. D.
Hieronymus in orat. ad Damaskum Pontificem,
quæ refertur inter geſta ipſius Damasi, tom. 1.
Concil. ibi: *Ut in fine pſalmi cujuſlibet, ſive
matutinis, ſive vespertinis horis, conjungi præci-
peat Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ſicut
erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſacu-*

la ſæculorum. Amen. Concil. Toletan. 4. can. 13.
& 14. Vaſenſe 2. can. 5. & circa modum re-
citandi pſalmos eſt celebris canon. 17. Synodi
Laodic. in illis verbis: *In proceſſionibus non con-
neſcere, id eſt ex diverſis verſibus, & ſenſibus li-
brarum canticum miniſtrè conjungere: ſed ſin-
gularum pſalmorum ordinabiliter fieri lectionem.*
Quem illuſtrat Menardus in notis ad lib. Sacra-
ment. D. Gregorii, fol. 177. & nos leviter præ-
ſtrinximus in cap. nobis, de jure paron. Sequuntur
hymni, qui licet non ſint compoſiti à
ſcriptoribus canonicis, ſemper tamen habent
auctorem aliquem gravem, ut Ambroſium, vel
Hilarium. De eorum origine videndus eſt
Aloix in notis ad vit. SS. Eccleſ. Orient. in
ſancto Hierotheo, cap. 3. quorum mentio fit in
diſto Concilio Tolet. & in Concilio Turon. 1.
can. 23. Aliorum etiam auctorum hymnos can-
tari poſſe in Eccleſia ſtatuitur: quod tantum
fuiſſe propter hymnos compoſitos à Fornato
de Cruce, poſt Baronium notarunt Greth-
ſerus lib. 2. de cruce, cap. 33. Aloix ubi ſuprà,
Severinus Binius in d. can. 23. Idem dicendum
eſt de Canticis, in quæ hæc majori ex parte
ex Scriptura ſacra ſumpta ſunt. Tantum Canti-
cum *Te Deum laudamus*, ab Ambroſio, & Au-
guſtino compoſitum creditur, referente Dacio
lib. 1. chron. cap. 1. Quarto loco lectiones ſacras
poſuimus, quæ potiſſimum in Matutinis legun-
tur: qui mos antiſſimus eſt, ut conſtat ex
cap. in nomine, de conſecr. diſt. 5. ubi Gregorius
Papa VII. allegat veterem conſuetudinem, cu-
juſ etiam meminit Gelafius in cap. ſancta diſt. 15.
ubi refert, has lectiones partim ex ſacra Scrip-
tura, partim ex homiliis Sanctorum deſumi, at-
que etiam ex geſtis Sanctorum: & in Con-
cilio Carthag. 3. can. 47. Laodic. can. 17. docetur
expedire, ut pſalmi non dicantur continuè, ſed
aliqua lectio ſacra interponatur. Poſt lectiones
ſequi ſolent reſponſoria, variè etiam verſiculi, de
quibus frequenter mentio extat apud Patres ſu-
prà citatos, & in fine uniuſcujuſque hora dici-
tur oratio, quæ Collecta vocari ſolet, quia dum
ab uno ſacerdote nomine omnium adſtantium
dicitur, omnium orationes in ea colliguntur,
cap. conventi, de conſecr. diſt. 5. Sequitur capitu-
lum etiam in Laudibus, & aliis minoribus Ho-
ris, quod eſt lectio brevis, de qua eadem ratio
eſt, quæ de aliis lectionibus, ſemperque ex Scri-
pturis ſumitur: de quibus capitulis agitur in Con-
cilio Agathenſi relato in cap. conventi, de conſecr.
diſt. 5. ubi priùs dicitur ſtudentum eſſe, ſicut
ubique fit, ut poſt antiphonas collectiones per
ordinem ab Epifcopis, vel Presbyteris dicantur,
ita enim legitur in ipſo Concilio, non collationes,
ut legit Gratianus. Et poſtea additur in conclu-
ſione: *Matutinarum, Vespertinarum, & Miſ-
ſarum poſt hymnos capitela de pſalmis dicantur.*
Ubi Gratianus reponit capitula. Tandem anti-
phona eſt brevis ſententia, quæ pſalmo cantando
præmittitur, quæ ſapiùs continet aut verſum
aliquem ejuſdem pſalmi, aut ſententiâ aliquam
utilem in laudem Dei, d. cap. conventi: & A-
malarius lib. 4. de offic. Eccleſ. cap. 7. ait: *Idem
antiphonam inventam eſſe, ut ſecundum illum mo-
dulationem, ſeu ſymphoniam cantus totius pſalmi
ſumatur, & ita totus Chorus illa unatur.* Anti-
phonis conjungi poteſt invitatorium, quod
ſpecialiter in principio Matutini præmitti ſo-
let. Proſequentur alia de materia proxima
divini

divini officii, Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. de ho-
ris can. cap. 2. Herrera de orig. divini offic. cap. 1.
cum sequent.

21. Traditur ratio deciden-
Unde apparet vera ratio præsentis textus ;
nam cum officium divinum magnâ curâ ab EC-
clesia sit dispositum, & per horas distributum,
ex mysticis rationibus, & significationibus su-
prâ adductis ; & injunctum officium illud pres-
byteris, & aliis Ecclesiæ ministris, ut etiam po-
pulus possit in Ecclesia convenire ad lectiones, &
alias orationes audiendas ; ideo in præsentis do-
cetur, ut parochus per se, aut scholarem ho-
ris competentibus divinum officium psallat, &
postea, si voluerit, exeat ad opus rurale. Cir-
ca hanc autem obligationem recitandi horas ca-
nonicas plura congesterunt ex Moralibus Trul-
lench. in præcept. Decal. lib. 1. can. 7. Fagunde-
eod. tract. in præcept. 1. lib. 1. c. 32. Castropalao
tom. 2. tract. 7. dispus. 1. punct. 1. Machado lib. 2.
p. 3. tract. 1. docum. 1. Fragofo tom. 2. de regim.
lib. 10. disp. 22. Hieronymus Garcia in summa,
tractat. 2. per totum.

22. Dissolvi-
tur du-
bitandi
ratio.
Nec obit dubitandi ratio suprà expensa ex
D. Paulo ; non enim vult Apostolus sine inter-
missione esse orandum, ut non liceat intermissa
oratione aliud aliquando operari : qui fuit error
Adelphi, & Alexandri hæreticorum, qui autho-
ritates illas Sanctorum Pauli, & Lucæ perperam
accipientes, assererant ; nunquam esse operan-
dum, sed semper orandum. Respondetur enim
duplici modo : Primò cum sancto Nilo in lib. Par-
emico, qui extat tom. 5. biblioth. PP. ubi disse-
rens de hoc præcepto orandi sine intermissione,
inquit ex sacra Scriptura : Ignavia multorum in

arctum nos coegit quibusdam præceptis, quæ ma-
jora quam pro viribus, apparent ; tum ut studium
nostrum orandi quoad fieri possit, intenderet ; immo
ut occasionem elationis subtraheret, quasi subiatâ
sæpe ultra faciendâ, quam præceptum erat, præci-
piendo aliquando aliquid, quod primâ fronte vires
nostras superare videatur, quale est orare sine inter-
missione. Itaque Apostolus dum sine intermissione
orare præcipit, quoad fieri potest, studium orandi
intendere dumtaxat præcipit. Secundò respon-
deo, quod præceptum Domini semper orandi qua-
dam tenus sancta Mater Ecclesia credit se adimple-
re, cum per suos ministros statim temporum inter-
vallibus publicâ laude Deum celebrat, ut docuerunt
D. Augustinus lib. de hæresibus, hæres. 57. epist.
121. Glossa ordinaria in dist. cap. 18. D. Lucas,
Nicolaus I. ad consult. Bulgar. quæst. 61. quo-
rum auctoritates congesterunt Stanislaus Osius
de cærem. cap. 91. Thom. Bozius de signis Eccles.
lib. 9. cap. 12. num. 3. & id docet expressè S. au-
gustinus in epist. Pauli ad Roman. ubi ita ait : Dicen-
dum est, eum semper orare, & non desicere, qui
canonicis orationibus quotidie juxta ritum ecclesiasti-
cæ traditionis, psalmodiis, precibusque consuetis Do-
minum rogare, & laudare non desistit. Sanctus Eli-
gius homil. 11. Bedæ in cap. 18. D. Lucæ. Nec ob-
stat auctoritas D. Clement. dict. lib. 7. cap. 75. nam
dum Sanctus præcipit ter die orate, jubet orate
quam frequentissimè possimus ; ita ut cum rarissimè,
ter saltem oremus : nec epim novum est, ut
sub ternario numero multitudo contineatur, &
hoc in honorem sanctissimæ Trinitatis constitu-
tum, ut exponit Turrianus ad D. Clementem
d. lib. 7. cap. 25.

CAPUT II.

Ex Concilio (a) Triburiensi.

Quidam etiam laicorum, & maxime matronæ, habent in (b) consuetudine, ut
per singulos dies audiant Evangelium : In principio erat Verbum ; & Missas pecu-
liares, hoc est de Sancta Trinitate, aut de Sancto Michaële : ideo sancitum est in eo-
dem Concilio, ut ulterius hoc non faciant, nisi suo tempore, & nisi aliquis velit au-
dire propter reverentiam Sanctæ Trinitatis, non pro alia devotione. Sed si volue-
rint, ut sibi Missæ (c) cantentur de eodem die, audiant Missas pro salute (d) vivo-
rum, vel defunctorum.

NOTÆ

1. (a) Triburiensi.] Ita etiam legitur in secunda
collectione, sub tit. de suffragiis, cap. 2. sed
in Conciliis excusis non reperitur hic canon ;
refertur autem in Concilio Salegustadiensi cele-
brato anno 1022. tempore Benedicti Pontificis
pro reformatione disciplinæ ecclesiasticæ, ubi
can. 10. ita legitur : Quidam etiam laicorum,
& maxime matronæ, habent in consuetudine ut per
singulos dies audiant Evangelium : In principio
erat Verbum ; & Missas peculiare, hoc est de San-
cta Trinitate, aut de sancto Michaële ; & ideo sanc-
itum est in eodem Concilio, ut hoc ulterius non fiat,
nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire ve-
lit pro reverentia Sanctæ Trinitatis, non pro aliqua
divinatione ; & si voluerint ut sibi Missæ cantentur, de
eodem die audiant Missas, vel pro salute vivorum,
aut pro defunctis. Hujus canonis meminerunt

PP. Concilii Coloniensis I. tempore Pauli III.
anno 1536. his verbis : Mos inolevit non admo-
dum improbandus, ut diebus Dominicis toto ferme
anno officium Missæ, vel de sacrosancta Trinitate, vel
de Spiritu sancto dicatur. Nobis sanis videtur, ut
quæ prius Ecclesiæ singulis Dominicis peculiariter fe-
cit, observentur : Quod si illorum loco alia usur-
panda erunt, videtur quod de resurrectione Domini
est dies Dominico magis convenire, quod dies illa
potissimum resurrectioni dedicata sit. Nec ignora-
mus, non absque causa in Concilio Triburiensi consti-
tutum, ne propter Missas peculiare Missæ, quam
de feria vocamus, prætermittatur.

(b) Consuetudine.] Superstitiose quidem, non
quia credebant, non posse mori sine penitentia
eo die, quo lectioni illius Evangelii interfuerant ;
sed quia optabant futura prædicere, aut occulta
scire, & credebant audito Evangelio, se id affe-
quitutas, ut ex ipso canone facile constat, &

Dd dd 4 notavit

notavit Herrera de orig. Missæ lib. 3. cap. 26. ubi viros effectus ex lectione hujus sancti Evangelii expertos refert: cui etiam sententiæ adhæret Landmeter. de veterib. cleric. mon. lib. 2. cap. 81. ad finem. Etiam ob similem superstitionem prohibet Concil. Trident. sess. 22. de sacrific. Missæ, cap. 8. certarum Missarum numerum, his verbis: *Quarundam verò Missarum, & candelarum cerarum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quam à vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant, doceantque populum quis sit, & à quo potissimum proveniant sanctissimi hujus sacrificii iam pretiosus, quam celestis fructus.*

(c) *Cantentur.* Licet jam temporibus hujus Concilii in usu esset Missæ sacrificium publicè cantare, ut probat Vicecomes volum. 2. de Missæ ritibus, lib. 5. cap. 7. tamen in præsentī non accipias Missam cantare prout sonat, sed potius pro Missam dicere. Galli enim privatas Missas, privatimque recitatas etiam cantari dicebant, à solenniori, & digniori celebratione: quomodo accipit caput 28. Pœnit. Rom. tit. 9. in illis verbis: *Item qui jejulare non potest, & observare quod in Pœnitentiâ scriptum est, faciat quod Sanctus Bonifacius constituit: pro uno die, quem in pane, & aqua jejulare debet, roget presbyterum, ut Missam cantet pro eo.* Fileticus de confessione auriculari, fol. 676. & intelligi potest textus in cap. tanta. de simonia.

(d) *Vivorum, & etiam defunctorum.* Olim non solum seorsim Missa offerebatur pro vivis, aut pro defunctis. Robertus Aichdiaconus in vita Sancti Aiberti monachi, apud Laurentium Suri-um tom. 2. ibi: *Factus autem presbyter duas in die celebravit Missas, pro vivis alteram, alteram pro defunctis.* Sed & simul pro vivis, & mortuis simul salutaris hostia offerebatur. Albinus Flaccus libro sacram. ibi: *Missæ pro salute vivorum, & requie mortuorum: Omnipotens sempiternæ Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum.* Observavit Vicecomes de ritibus Missæ volum. 2. libro 4. cap. 1.

COMMENTARIUM.

5.
Conclusio
traditur,
& illustra-
tur.

EX præsentī canone communitè talis deducitur assertio: *Propter Missam peculiarem Missa propria de die non est omittenda.* Non est alia simili decisio in jure, quâ firmari possit: facit tamen Concilium Colon. anno 1526. p. 2. cap. 7. *Sunt in clero qui privatis quibusdam affectibus moti, vel testamento, vel ut vocant, foundationibus efficiunt ut nova festa præter Ecclesiæ auctoritatem solennitèr subinde celebrentur.* Quod interim sit ut preces horaria, ac reliqua publicè recepta pro affectu cujuslibet facile noventur, id quod nobis non probatur. Illustrant ultra congestos in præsentī a Barbosa de offic. Parochi p. 1. cap. 11. Vicecomes lib. 3. de Missæ ritibus, cap. 1. Diana p. 11. tract. 2. resol. 4. Carolus Guicetus de festis propriis lib. 4. cap. 21. quæst. 6. Suarez de sacram. disputat. 83. sect. 3. & disp. 88. sect. 3. Portel. in addit. verbo Missa, §. 8. Dicastillo de sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 14. Diana 2. p. tract. 14. resol. 30. cum sequent. & cap. 4. tract. 4. resol. 39.

6.
Impugna-
tur traditio
in assertio.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita infurgo: Cuilibet privato sacerdoti liberum est Missam celebrare, vel non; nec tenetur diebus feriatis, aut festivis præcisè Missa sacrificium offerre, ut probant Gabriel, Sotus,

Caictanus, Victoria, & alii, quos referunt & sequuntur Fagundez in primùm Eccles. præcep. libro 3. capite 15. Lugo de Euchari. disputat. 20. sect. 1. Suarez de sacri am. disput. 80. sect. 1. §. 2. Saufay in Panopl. sacerdot. 2. p. lib. 1. artic. 2. §. 3. fol. 534. Igitur multò magis liberum illi erit pro suo arbitrio hanc, vel illam dicere, Accedit, nam Missa votiva ea est, quæ non correspondet officio diei, sed pro voluntate dicitur, sive ipsius sacerdotis, sive ejus, ad cuius natum celebratur, ut eam definiunt Gavantus p. 1. tit. 4. Guicetus de festis lib. 4. cap. 21. sed neglecto officio proprio ipsius diei, potest Missam votivam dici, ipsi probant. Ergo & in præsentī casu ob votum, & devotionem fidelium licitè celebrari poterat Missa de Sanctissima Trinitate, aut sancto Michaële, etiam diebus non propriis.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, Missam aliquando significare diem festum, in quo celebratur; nam in Concilio Pistenō, cap. 3. legimus, iis qui furto, vel aliis scelentibus se obtrinxerant, pœnitentiæ, ac reconciliationis terminum sancti Remigi Missam, id est ejus celebritatem, præfinitam fuisse, ibi: *Communi placito constitutum, ut usque ad Missam S. Remigi, hoc est Kalend. Octobr. spatium habeant illi, qui in istis temporibus ista depraedationes, & alia malefacta criminaliter, & publicè fecerunt, ut inde apud Dominum, & apud eos, quibus malefecerunt, se pacificent.* Et lib. 2. cap. 18. ibi: *De moneta verò unde jam per tres annos, & admonitionem fecimus, & tempus, quando una teneretur, & alie omnes cessarent, constitutum: hoc omnibus notum esse volumus, quoniam in absque ulla excusatione citò possit emendari, spatium usque ad Missam sancti Martini dare decrevimus.* Ercap. 20. ibi: *De ubi pontes antiquitus fuerunt, & in his locis, ubi tempore gentioris nostris spoliabente, diversarum necessitatum causa facti, omnino absque ulla dilatione ab his qui eos tunc fecerunt, restituantur, & renoventur, ita ut ad Missam sancti Andree renovati fiant.* Et quia præcipue hoc sacrificium die Dominico offertur, Dominicum appellatur in auctoritatibus congestis à Cerda in notis ad Tertul. ad uxorem, num. 37. Bovio tom. 1. Rom. Subter. lib. 1. cap. 31. Nonnunquam etiam accipitur pro mercato, ut probat Vicecomes lib. 1. de Missæ ritibus, cap. 1. ponitur pro divino officio in Concilio Valentino, can. 1. pro ipsius precibus & collectis in Concilio Milevit. can. 12. pro re divina in auctoritatibus congestis à Savarone ad Sidonium lib. 5. epist. 17. Sed frequentius sumitur, ut hodie vulgò, pro ipso sacrificio. Quæ acceptio primis Ecclesiæ temporibus cepit, sicut dem D. Clemens epist. 3. ait: *In aliis locis sacrificare, & Missas celebrare non licet.* Et. Necita hoc sacrificium dictum est ab Hebræo vebo *Misab*, ut voluit post alios Corjolanus in breviario, anno 34. quam sententiam doctè refellit Vicecomes dict. lib. 1. cap. 4. sed à dimissione, quia olim catechumeni ante eorum creationem mittebantur, quasi eorum Missa finita, ut hodie in fine dimittitur populus per Diaconum. D. Isidor. lib. 6. origin. cap. 16. ibi: *Missæ tempore sacrificii est, quando catechumeni foras mittuntur, clamante Levita: Si quis catechumenus remansit, exeat foras.* Et inde Missa. Et etiam Diaconus clamabat, qui non

non communicat, de locum: probat Haaphtenus in *vita S. Benedicti*, cap. 23. Et ita fuit, ut nomen Missa, quod denotabat sacrificii finem, pro ipso sacrificio acciperetur. Concil. Carthag. can. 84. Rabanus Maurus de *instu. cleric.* cap. 32. Illustrant Gothofredus in l. 3. C. Theodof. de *proximis Comitibus*, Menardus ad *concord. regul.* cap. 28. §. 7. Bravo in *not. ad regulam S. Benedicti*, cap. 17. Lantdmeter. lib. 2. de *veteri mon.* cap. 78. Beyerlinch. verbo *Missa*, tom. 7. Darts ad *dist.* 1. de *consecr.* Theophilus tom. 6. in *Acatbist.* §. 3. fol. 487. Conradus Kling. lib. 4. loc. *commun.* cap. 22. Martinez à Prado de *Eucharist.* quest. 83. dub. 2. §. 1. Covar. lib. 4. var. cap. 22. ubi Ufelius, Loaysa in *can. 1. Concil. Tolet.* 12. Baronius anno 34. num. 59. Vicecomes ubi *suprà*, cap. 4. & 5. Joan. Scortia, Antonius Monchiacenus, & Gaspar Cassalius de *sacris. Missis*, plures congesti à P. Henao eod. *tract. dist.* 1. sect. 1. num. 4.

8. Secundo sciendum est, Missam debere cum horariis divini officii laudibus, de quibus egi proximo commentario, convenire; ideoque pro varietate dierum jam olim diversas fuisse præscriptas Missas legimus, ita ut Missa unius diei diversa esset à Missa alterius. Pelagius Pontifex II. epist. ult. ibi: *Sacrum orationem Romanam, sacraque constituta nostrorum antecessorum solerter relegendas, invenimus has novas præstationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retro veritas in Romana Ecclesia hætenus servavit.* Ubino-tanda sunt illa verba, *longa retro veritas*; quæ hanc consuetudinem diversarum Missarum multo altius quam Pelagii ferat atas, repetendam esse demonstrant. Vigilius Pontifex epist. 1. cap. 5. inquit: *Ordinem precum in celebratæ Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere diversum, sed semper eodem tenore oblatæ Deo munera consecrare.* Quoties verò Paschalis, aut Ascensionis Dominici, vel Pentecostes, & Epiphania, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctam solemnizamus, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus. Probat Vicecomes lib. 3. de *Missaribus*, cap. 2. Unde non solum unicuique diei Dominico propria Missa præscripta fuit, ut probat Vicecomes *dicto* lib. 3. de *Missaribus*, cap. 3. verum etiam diebus feriarum peculiare Missas prænititas fuisse, constat ex Vvaldo Strab. de *rebus Eccles.* cap. 20. ubi ita ait: *Alii omni Dominico, vel omni Sabbatho apud Orientem, & Hispanias, Missas facientes commemorationem passionis Dominice omni septimana, si facerent, sufficere credebant, &c.* Ex Pelagio *suprà* relato, & ex eo quia D. Hieronymus pluribus in locis sui Comitus, seu Lectorarii ejus rei meminit; nam cum sibi proposuisset Lectiones, & Evangelia, quæ quotidie anno vertente recitanda essent, nobis aperire, diversa utique singularum hebdomadarum quartæ, & sextæ ferie assignat: quod argumentum est, earundem feriarum proprias Missas fuisse. Probat Vicecomes *dict.* libro 3. capite 11. diebus etiam quadragesimalibus peculiarem Missam fuisse statutam, constat ex Pelagio *suprà* relato, & ex Concilio Matiscenensi, can. 9. ibi: *Ut à feria sancti Marini usque ad natalem Domini, secundam quartam, & sextam sabbati jejuneur, & sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari.* Et Rupertus Abbas de *divinis officiis* lib. 4. cui titulum affi-

xit de Evangelii, & Epistolis feriarum quadragesimæ, in quibus sibi concordent, cap. 14. & sequentibus agit de omnibus feriis Quadragesimæ usque ad Dominicam 5. Etiam Adventu tempore peculiare Missas fuisse prænititas, probat Vicecomes *dict.* libro 3. capite 14. per totum.

9. His præmissis de Missis diebus Dominicis, & feriis hebdomadæ assignatis, deveniamus ad eas, de missis quæ festivitatis Sanctorum, seu eorum natalitiis celebrandis prænititas sunt. Et in earum anniversaria die propriam cujusque sancti Missam celebrari, constat ex D. Cypriano epist. 34. ad Clerum, & plebem, quidum Cellerinam, atque Laurentium laudat, quod martyrii palmam illustri triumpho promoverint, hæc inquit: *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus.* Quæ quia latè aperte rem, quam agimus, ostendunt, in eorum explicatione nequaquam immorabor. Item epist. 37. ad Cler. mentionem faciens sacrarum tabularum, quibus consignabantur dies, ac nomina eorum, qui ob Christi testimonium colliso capite victores occubuissent, ita scribit: *Tertullus fidelissimus, & devotissimus frater noster, pro cætera sollicitudine, & cura sua, quam fratribus in obsequio operationis impertit, scripserit, & scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriose mortis exitu transierunt, ut celebrentur hic à nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum, que cum vobiscum Domino protegente celebrabimus.* Quo testimonio nihil clarius, illustrius afferri posse arbitror, cum ritus ille Sanctis litandi, veluti penicillo expressus fuerit. Et S. Augustinus lib. 8. de *ciuitate Dei*, cap. 26. cum probare instituisset cælestia sacrificia, quæ Sanctos colendi gratiâ quotidie in Ecclesiis celebrantur, non Sanctis ipsis, verum Deo offerri, in hunc modum loquitur: *Quis audivit aliquando fidelium, stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petro, vel Paulo, vel Cypriano; cum apud eorum memorias offeratur Deo, que eos & Martyres, & homines fecit? Quæ verba, vel præsentem disputationem stabiliant, vel nescio quid stabilienda latè sit. Multaque alia, tum ipse Augustinus, tum alii scriptores testimonia suggerunt, quæ quod in re perspicua verfer, à me omittuntur. Non patiar tamen silentio præteriri [quod ad hanc quaestionem illustrandam pertinet] ipsas Missas de Sanctis anniversaria die celebrati solitas esse. Cujus probationem duco ex illis Tertulliani verbis *suprà* citatis, *annua die*: & Cypriani, *anniversaria commemoratione.* Nec desinam admonere, per vetus et si fuerit Missarum de Sanctis in Ecclesia consuetudo; tamen quadragesima diebus penitentia dicitis olim ejus generis nullam confecisse priscos religionis Christianæ cultores. Qua de re, ne dubitandi locus sublit, maximo est argumento, quod Concilii Laodicensis capite 52. legimus, ubi præcipitur, ne quis eo tempore nuptias, vel martyrum natalitia celebrare audeat; illius quippe hæc sunt verba: *Quod non oportet in quadragesima nuptias, vel natalitia celebrare.* Dicuntur verò natalitia, dies Sanctorum religioni consecrati, quod illi ex angusto ærumnosæ vitæ curriculo in illa æternitatis immensa spatia educiti, jucundè, ac beatè*

beatè vivat cum Christo. Si verò tunc festos dies Sanctorum celebrare haud fas erat, multò minùs de Sanctis Missam conficere, cum hic præcipuus sit cultus, quem illis Christiani exhibere possint. Eodem etiam pertinet, quod in S. Hieronymi comite, seu lectionario, nulla lectio; atque in B. Gregorii antiphonario nulla antiphona continetur ad ecclesiasticum quadraginta dierum officium spectans, quæ Sancti alicujus mentionem faciat, cum omnium dierum alicui Divo sacrorum, qui in alia tempora incidunt, statutum lectiones, tum antiphonas in iis expressas legamus. Atque ut apertius hoc sit, addam Martini testimonium relatum in cap. non licet, 33. q. 4. ubi ita cavetur: *Non licet in quadragesima natales Martyrum celebrare, sed tantum in sabbato, & Dominica, pro commemoratione eorum oblationes offerre: sed natalitia, nec nuptias liceat in Quadragesima celebrare.* Quæ verba illius moris adeo plena sunt, ut qui in dubium vocare velit, planè amens sit. Quem canonem latè exponit Filescus de *Quadragesima* cap. 13. S. Vigil. Pont. epistol. 1. capite 5. in illis verbis: *Quotiens verò Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, & Epiphania, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctam solennitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus.* Immo si duo Sancti in eadem die celebrandi erant, duplex Missa legebatur, ut probat *Viccomes dict. lib. 3. cap. 7.*

IO.
de missis
votivis

Ultra Missas istas suis diebus & temporibus statutas, erant alia votivæ, quæ ita dicebantur, quia pro sacerdotum voto recitabantur, de quibus Constantinus Presbyter in vita S. Germani Episcopi, titulo Altifiodor. cap. 16. ibi: *Sancti Episcopi Peregrinus, & Amator, prius quam discedant, Missas sunt votivas celebraturi.* Earum autem duo erant genera: alia certum diem habebant, alia verò quovis die celebrari poterant, prout sacerdotis voluntas, aut necessitas tulisset. Ad primum genus Missarum votivarum spectant Missa de Angelis, de Trinitate, de Sapientia, quæ feriâ secundâ celebrabantur, Micrologus in *observ. Eccles.* cap. 60. ibi: *Sciendum autem, quendam Albinum Magistrum Caroli Imperatoris, rogatu Bonifacii Archiepiscopi, ut ajunt, Missales orationes de sancta Trinitate composuisse, & in secunda feria de Sapientia, in tertia de Spiritu sancto, in quarta de Charitate, in quinta de Angelis, in sexta de Cruce, in Sabbato de sancta Maria.* Prosequitur latè *Viccomes d. lib. 3. ex cap. 16. usque ad 22.* Ad secundum genus Missarum votivarum pertinent Missæ pro aliqua necessitate, seu molestia instituta, veluti pro bello avertendo, paceque impetranda, pro frugibus terræ, pro pluvia postulanda, aut pro tempestate repellenda, de quibus agit idem *Viccomes dicto libro 3. ex capite 22. usque ad 25.*

II.
traditur
ratio de-
cendendi.

Unde apparet ratio præsentis textus; nam cum ita sedulo Ecclesiæ PP. singulis diebus Missas proprias, & peculiare præscriperint, & statuerint, non licet sacerdotibus propriâ voluntate, aut pro audientium libito Missam proprii dici omittre, & aliam recitare horis canonicis incongruam, & non consonam. Unde D. Carolus in suis actis Ecclesiæ Mediolan. diligenter monet, ut eam quicunque presbyter celebret Missam,

quæ cum sacro penso divinarum laudum maximè congruat: quas constitutiones si in mentem remeritatis delaberentur, ut sacrum funebre, vel aliud simile, etiam si nulla Ecclesiæ requirerentur necessitas, singulis ferè diebus celebrarent, turpi cupiditate celeriter absolvendi Missam; ut ad negotia secularia se convertant. An verò peccet qui neglectâ propriâ Missâ ipsius dici, aliam celebrat, disputant Moralistæ: & communiter placet, curandum esse, ne fiat; si tamen salvo contemptu, & absque animo introducendi novum ritum id fiat, peccatum veniale committit, propter violationem rubricæ Missalis. Tamburini. *de sacrif. Missæ lib. 2. §. 1. cap. 6.* Licet etiam casu non improbabiliter teneat Suarez *de Sacram. disput. 83. sect. 3.* nec peccatum veniale committi. Nec tandem obstat dubitandi ratio supra adducta; nam non rectè sequitur ex eo, quod quis non teneatur ad aliquid petendum, illi licere illud facere quo modo velit; quis enim dicit: Non teneor die profecto sacrificio Missæ interesse: ergo sedens, & incompositus, aut sine attentione interesse possum. Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis; nam id procedit in Missis votivis, quæ ex justa causa dici possunt, omissis propriis ipsius dici, de quibus supra egi. Non tamen inde inferitur, pro libito celebrantis, vel audientium posse Missæ sacrificium mutari, ut etiam ex speciali privilegio ab aliquibus piis viris factum legimus; nam scribit *Cantriprat. lib. 2. Apum, cap. 29. num. 12.* sacerdotem, qui semper de Beata Virgine sacrum faciebat, cum esset à S. Thoma Cantuariensi suspensus à Missæ celebratione, justo Deiparæ fuisse restitutum, & devotioni suæ fervire permittitur. Simile est quod refert *Sebast. Rovilart. cap. 9. Parthenia, num. 30.* Rufus apud eundem *Cantriprat. lib. 2. cap. 53. n. 14.* alius, qui semper pro defunctis sacrum faciebat, cum æquè ab Episcopo jubere ritui præscripto parère, divino visu interveniente permittitur esse pergere. Affine est quod ex *Petto Cluniac. referunt Auctor Lavacri conscientie cap. 5.* Colvenerius *ad locum proxime adductum Cantriprat.* qui subdit, propter paucorum privilegia non esse recedendum ab ordinatissima dispositione Ecclesiæ.

Sed supra traditis obstat textus in cap. hoc attendendum, de consecr. distinct. 1. qui tribuitur D. Gregorio in *libris Capitul. cap. 45.* ut refert *Viccomes lib. 3. de Missaribus, cap. final.* à Burcardo verò *lib. 2. decreti, cap. 54.* Carnotensi *p. 2. cap. 119.* citatur ex dictis D. Augustini: *sed rectius jam notavit Filescus de orig. paræ. cap. 6.* textum illum esse Theodulphi Aurelian. Episcopi, qui floruit imperante Ludovico Pio, in epist. ad presbyteros, seu parochos *Aurel.* in illis verbis: *Et hoc attendendum est, ut Missæ peculiare, quæ in diebus, seu in quibuslibet festis canonicè sunt, abstrahantur.* Ex quibus aperte deducitur, diebus Dominicis, & aliis festis licere presbyteris peculiare Missas celebrare. Pro cujus textus expositione sciendum est, inter alias Missarum divisiones, illam præcipue dari, quod alia sint Missæ publicæ, in quibus publicè, & solennitè populus convenit; alia privatæ, seu peculiare, quæ à presbyteris sine plebis conventu celebrantur.

tur. Priores non nisi horâ tertiâ, & in Ecclesia parochiali, ubi populus diebus Dominicis, & festivis olim convenire debebat, juxta tradita suprâ in cap. ut Dominicus, de parochiis, celebrari valebant, de quibus agitur in can. 6. Concil. Africani. ibi: *Non liceat presbytero in publica Missa quemquam reconciliare.* Et eas vitanda turba, & strepitus temovendi causâ fieri prohibuit in monasteriis Gregorius Magnus in Concilio Later. celebrato pro quiete, & libertate monachorum, in illis verbis: *Missas quoque publicas in cenobis fieri omni modo prohibemus, ne in servorum Dei recubitus, & eorum receptaculis ulla popularis conventus praebeatur occasio, quia non expedit animabus eorum.* Facit Carnot. epist. 108. ibi: *Denique si causam hujus accusationis requiramus, constat manifeste inde, quod interdicente Sedis Apostolica decreto, non potest Tuscanensis Archiepiscopus in majori monasterio publicas Missas celebrare.* Peculiares verò Missas, quia privatim dicebantur, ideo jubet Theodulphus, ut tali hora celebrantur, ut populus non

distrahatur à Missa parochiali, ubi convenire debebat. Quod accuratius cautum fuit in Concilio Senonensi celebrato temporibus Francisci I. ubi canone 15. ita legitur: *Item ne populus distrahatur à Missa parochiali, & ab auditione mandatorum Dei Ecclesie, prohibemus ne in capellis ab antiquo etiam Episcoporum auctoritate fundatis aliâ Missa celebrentur, quàm ille quæ de fundatione extiterit; & si quæ sint missæ, quæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico, non dicantur nisi post Missam parochialem.* Non enim in dicto canone agit Theodulphus de Missis peculiaribus eo sensu, quo in presenti Missæ peculiare accipiuntur pro diversis Missis ab statutis specialiter illis diebus; sed pro Missis privatis peculiariter à presbyteris celebratis absque populi conventu, de quibus plura adduxerunt Suarez adversus Regem Angliæ lib. 2. cap. 6. Lantdmeter. lib. 2. de veteri cler. cap. 82.

Opponi etiam potest textus in cap. significatum, de præbend. junctis ibi adductis.

C A P U T III.

Innocent. III. (a) Vigornien, Episcopo.

CONSULUISTI nos, utrum presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare. Super quo tibi duximus respondendum, quod excepto die (b) nativitatis Dominicæ, nisi causa (c) necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.

N O T Æ.

(a) *Vigornien. s. i.* Ita etiam legitur in tertia collectione; sub hoc tit. cap. 1. de dicecesi Vigornien. nonnulla notavi in capite 9. de elect.

(b) *Die nativitatis Dominicæ.* De cujus solennitate egi in cap. final. de feris. Inter privilegia autem hujus magni diei illud præcipuum est; ut in eo tres Missæ à quolibet presbytero celebrentur, ut post D. Thomam 3. p. quest. 83. art. 3. ad 2. tradunt Sotus in 4. dist. 13. quest. 2. artic. 2. Vazquez 3. p. in 3. p. disputat. 232. cap. 5. Suarez in eadem parte, disput. 80. sect. 3. Vicecomes volum. 3. de ritibus Missæ, lib. 3. cap. 26. Sever. Binius in notis ad Thelesphorum Papam, tom. 1. p. 2. Concil. Salcedo in praxi, cap. 35. A quo tamen Pontifice hæc trium Missarum solennitas statuta fuerit, non satis constat apud Interpretes. Severinus Binius ubi suprâ, existimat auctoritate Thelesphori Papæ; relatâ in cap. nocte 4.8. de consecr. dist. 1. id constitutum fuisse, quia in eo textu ait Thelesphorus: *Nocte sancta Missas celebrent presbyteri.* Quibus verbis tres Missas celebrari posse vulgò receptum fuit; quia pluralis appellatio in tribus verificatur, l. 1. ff. de optione legat. l. ubi numerus, ff. de testib. Sed hæc sententia non placet: tum quia similis locutio etiam in singulari verificari solet, l. 1. §. familia, ff. de vi & vi armat. tum quia Thelesphorus in dict. cap. nocte, non tam solennitatem trium Missarum statuit, quàm ut presbyteri in eadem nocte Missas celebrent, ut notavit Vazquez dist. disputat. 232. quest. 3. num. 31. quod præceptum cum imponeretur omnibus presbyteris; necessariò plurali verbo utendum erat. Nec in presenti textu,

ubi de eadem solennitate agitur, exprimitur numerus Missarum, nec auctor hujus solennitatis, seu concessionis. Quare verius credo, Thelesphorum Papam; qui Ecclesiam rexerat ex anno 142; hanc solennitatem trium Missarum statuisse, ut tradunt D. Gregorius in homil. de natali Domini, Valfrius Strabo de rebus Eccles. cap. 21. ibi: *Thelesphorus IX. in ordine Romane Sedis Episcopus, in natali Domini tres Missas celebrari instituit.* Et licet ea constitutio non extet; tamen ab eo tempore receptum est in Ecclesia; ut in hac magna solennitate tres Missæ à quolibet sacerdote celebrentur. Hujus autem privilegii, seu solennitatis rationes duas afferunt Interpretes. Primam, ut ita per tres Missas tres mundi status significentur. Primus legis naturæ, qui duravit à mundi creatione usque ad Moysen; secundus legis scriptæ; qui permansit à Moysè usque ad Christi mortem; tertius status legis gratiæ, quæ à Christo Domino cepit; & usque ad consummationem sæculi permanebit. Hugo à Sancto Victore lib. 3. de special. Missar. observ. cap. 5. ibi: *Ante legem, & sub lege Christus in figura jam immolatur; unde ut per commemorationem figurarum veritas probabilior existat, semel in anno, scilicet in nativitate Domini, constituit Ecclesia intra natalis dies spatium rer. Missam celebrari: primò in nocte, secundo sub auroram, tertio de die. Tempus ante legem quasi nox fuit, nec lege, nec Prophetis, nec aliâ prædicationis lege illustrata. Tempus sub lege quasi aurora fuit, nec penitus carens lege, nec plenâ eam habens. Tempus gratiæ diei pleno comparatur. Primâ Missæ tempus ante legem, secundâ tempus sub lege commemorat, quia in utroque Christi immolatio in figura præcessit: in tertiâ Missa vera lux advenisse monstratur, cum dicitur: Puer natus est nobis, secundam rationem*

tionem adducit D. Thomas *dist. 3. p. quæst. 73. artic. 2. ad 2.* quia triplex nativitas in Christo Domino considerari potest: Prima æterna, quia Verbum à Patre generatur, juxta modum quem exponit Bellarminus *tom. 1. controv. lib. 7. de Christo, cap. 9. & sequent.* Secunda carnalis, quia natus est secundum carnem ex B. Maria Virgine. Tertia spiritualis, quia quotidie spiritualiter nascitur in cordibus iustorum, quos illuminat vivâ fide, ut dicitur *in epist. 2. D. Petri cap. 1.* Christus nascitur tanquam Lucifer in cordibus nostris. Ad has igitur tres nativitates celebrandas cum debita gratiarum actione triplex sacrificium offerri à quolibet Sacerdote Ecclesia instituit, scilicet ut nativitas secundum carnem celebretur per Missam, quæ mediâ nocte dicitur: nativitas spiritualis, quæ illuminat hominum corda, per Missam in aurora dictam significatur: denique generatio æterna per tertiam Missam, cui præscriptum est Evangelium D. Joannis, quod incipit, *In principio erat Verbum.* Diciturque die, propter illud Psalmi 109. *Splendoribus Sanctorum genui te.* Unde cognoscitur, quod olim, non quemadmodum nunc à plerisque sacerdotibus fit, una alias Missas subsequatur, sed sicut in præcipuis Ecclesiis, quæ Canonicorum collegio insignitæ sunt, servari solet, una mediâ nocte, altera primâ luce, tertia summo die conficiebatur, ut probat Viccomes *dist. lib. 3. volum. 3. cap. 27.* De his tribus Missis plura alia adducunt Diana *p. 11. tract. 4. resol. 43.* Tambur. *lib. 1. de Missa, cap. 6. §. 3. num. 6.* P. Henao *eod. tract. disp. 22. sect. 3.*

2. (c) *Causa necessitatis.* Nec tunc expressit Innocentius, an duas, vel tres, seu quatuor Missas dicere liceat; licet consultatio Episcopi Vigorniensis esset, utrum duas tantum unâ die celebrare liceret: ideo placuit Didaco à Tapia *q. 11. de Eucharist. artic. 5.* Suario *de Sacram. disp. 80. et. 3.* Petro de Ledema *cap. 19. de Eucharist. contra Gregorium Lopezium in l. 50. tit. 4. part. 1. & alios congestos à Cenedo ad Decret. collect. 175. num. 4.* quod si suadeat causa necessitatis, fas erit celebrare non tantum duas, verum & tres, aut quatuor Missas, requisitâ quidem majori causâ ad tertiam, quàm ad secundam; ad quartam, quàm ad tertiam. Casus autem necessitatis, in quibus uni sacerdoti liceat in eadem die duas Missas celebrare, assignarunt Moralistæ, sed non omnes sunt amplectendi. Primò affirmant nonnulli, ob paupertatem sacerdotis licere illi in eadem die bis celebrare: sed satis expressè casus hic refellitur *ex cap. sufficit, de consecr. dist. 1. ibi: Qui verò pro pecunia, aut adulationibus secularium (lege oblationibus) una die presumunt plures celebrare Missas, non existimo evadere damnationem.* Secundum casum assignant Moralistæ, cum post peractum Missæ sacrificium advenit Princeps, Episcopus, aut multitudo peregrinorum in die festo. Sed etiam hunc casum rejiciunt post Vazquez Tamburin. *de sacrif. Missa lib. 1. cap. 6. §. 3.* P. Henao *eod. tract. tom. 1. disp. 22. sect. 4.* Et certè casus hic metaphysicus est; nam si prædictæ personæ adveniunt antequam sacerdos iterum recitare Missam, quàm aliam dicere: si autem post sumptas species, & ablationem, quia sacerdos jam non est jejunus, non potest aliam Missam celebrare. Idem de casu, in quo ob necessitatem infirmi ultimo languore depressi,

ut viaticum accipiant, concedunt antiqui secundam Missam celebrare, tenet Tamburinus *ubi supra*: sed illum casum doctè explicat, & defendit P. Henao *ubi supra.* Primus ergo casus, in quo ob necessitatem licet duas Missas celebrare in eadem die, datur cum unus parochus regit duas Ecclesias diversis in locis; tunc enim in qualibet earum debet Missæ sacrificium in diebus festis celebrare. Concilium Emerit. *can. 19. ibi: In parochiis multæ sunt Ecclesie constitute, quæ à Fidelibus factæ, aut paucum, aut nihil de rebus videntur habere: sacerdotali ergo decreto præbitero uni plures exiant commisse; unde cavendum est, ne occurrente paupertate, ordo ibidem non impleatur Missæ: proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus præbiter jussus fuerit ordinationem præbere, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre.* Docuit Filescus *de org. paroc. cap. final. & exponit P. Henao supra, num. 3.* qui idem admittit, cum adeo magnus est populi concursus, ut Ecclesia cum recipere non possit: ad quem casum probandum, licet communiter adducatur epistola 81. Leonis I. cujus pars refertur *in cap. necesse 51. de consecr. dist. 1.* his verbis: *Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior festiva conventio populi numerosior inaxerit, & ad eam tanta multitudo conveniat, quam recipere basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advennerint, videantur his, qui postmodum confluxerint, non recepti; cum plenum pietatis, atque rationis sit, ut quotiens basilicam, in qua agitur, presentia novæ plebis impleverit, totiens sacrificium subsequens offeratur. Necessè est autem, ut quadam pars populi suâ devotione præcurat, simul tantum Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui primâ diei parte convenierint.* Verius tamen credo, Pontificem in eo textu agere de iterando sacrificio Missæ in eadem Ecclesia, sed non ab eodem sacerdote. Olim enim in una Ecclesia ac uno altari unica Missa tantum celebrari poterat. Concil. Altiiffod. *can. 10. ibi: Non licet super uno altario in una die duas Missas dicere.* Autor libri Pontificalis de Pontifice Deus dedit ita ait: *Deus dedit constituit secundam Missam in Clero.* Ubi Scholiastes addit: *Quia tunc admissus Græcorum non cantabatur in una Ecclesia, nisi fortis una Missa; quod magis edificabat secundum antiquos.* Quæ consuetudo apud Græcos diutius invaluit, teste Bartholomæo Georg. *in libello de ritibus Græcor. ibi: In magno numero sacerdotum, non nisi unus in eadem Ecclesia sacra Missarum obitus; reliquisse pro ministris gerunt.* Et apud Moscovitas, referente Sigismundo, in templis unicum est altare, & in dies singulos unicum quoque sacrum faciendum putant; immò & apud Latinos in cenobitarum Ecclesiis una tantum Missa offerrebat, etiam tempore B. Francisci, ut constat ex epistola ipsius ad sacerdotes sui Ordinis, ubi ita ait: *Monco præterea, & exhortor vos in Domino, ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantum celebratur Missa in die secundum formam S. Romanæ Ecclesie. Si verò in loco plures fuerint sacerdotes, sit per amorem charitatis alter contentus audire celebrationem sacerdotis alterius. Ubi notanda sunt verba illa secundum formam Romanæ Ecclesie, quæ non ad universalem Ecclesiam morem, sed ad singularem cenobitarum ritum referre oportet.* Quoniam

niam longè ante Sanctum Franciscum plerisque in Ecclesiis plures Missæ una die celebrari cœperant, ut exposuit Vicecomes *volum. 3. de ritibus Missæ, lib. 3. cap. 29.* Nec audiendus est Basilus Legion. *quæst. 3. scholast. in dist. can. 10. Concil. Alisiod.* qui canonem illum ad præsentem prohibitionem de duabus Missis non celebrandis ab uno Sacerdote in eodem die refert. Unde Leo Pontifex in *dicto cap. necesse*, ob multitudinem plebis dispensandum censuit, ut in una Ecclesia iteraretur sacrificium Missæ à diversis Sacerdotibus. Minus audiendi sunt, qui iustam causam celebrandi iterum ab eodem Sacerdote existimant, quando defunctus est tumulandus: nam licet olim ex ea causa liceret iterare sacrificium Missæ, ut probavi in *cap. 1. hoc tit.* tamen mos ille, qui duravit usque ad tempora Sancti Norberti, teste Laurentio Landmeter, *lib. 2. de veteri cler. cap. 82.* in desuetudinem abiit. Unde aut juxta veterem illum morem exaudiendi sunt Alfonso R. x in l. 5. tit. 4. part. 1. D. Thomas 3. p. *quæst. 80. artic. 10. ad 2. ibi: Sicut etiam in aliis diebus, in quibus occurrunt p'ura Dei beneficia, vel recolenda, vel expetenda, plures Missæ celebrantur in die, puta una pro festo, alia pro jejuniis, vel promeritis, &c.* Vel accipiendi sunt de iterato sacrificio, non ab uno Sacerdote, sed à diversis. Prosequuntur alios casus æqualis necessitatis, vel similis Tambur. & Henao ubi *suprà*, Hieronymus Garcia in *summa tract. 3. difficult. 2. dub. 5.*

COMMENTARIUM.

Plures Missas eadem die celebrari ab uno Sacerdote, jure divino, aut naturali prohibitum non est, ut probat P. Vazquez 3. p. in 3. p. *disput. 232. cap. 5. num. 42.* Non enim repugnat natura sacrificii, ut sæpius in eodem minuto offeratur, nec lege divina prohibitum est, ut repetatur. Quare olim propter Sacerdotum inopiam cum pauci ad sacrum presbyteratus gradum ascenderent, quilibet in eodem die plures Missas celebrabat, ut constat ex Concilio Tolitano 12. *cap. 5.* transcripto à Gratiano in *cap. reatum 17. de consecr. dist. 2.* ubi non reprehenduntur Sacerdotes, quia sæpius in die celebrabant, sed quia in omnibus Missis non communicabant: & in canonibus Concilii Triburienfis laudatur Leo Pontifex, quia septies, vel octies, noviesque eodem die Missam offerret; quod & refert Walfredus Strabo *de rebus Eccles. cap. 22.* dum inquit: Fidelium relatione virorum ad nostram usque pervenit notitiam, Leonem Papam, sicut ipse fatebatur, una die septem, vel novem Missarum solennia celebrasse. An tamen is Leo fuerit primus, vel tertius, examinat P. Henao *de sacrificio Missæ tom. 1. disput. 22. sect. 2.* & in Concilio Salegustad. celebrato anno 1022. *can. 5.* cavetur, ut unusquisque presbyter in una die non amplius, quam tres Missas celebrare præsumat. Sed aucto deinceps paulatim presbyterorum numero, contrarius mos invaluit, videlicet ut uno die duntaxat una Missa celebraretur præterquam in præcipuis aliquot anni celebratibus, *cap. sufficit, de consecr. dist. 1.* Odo Parisiensis *Synod. const. cap. 5.* ibi: *Nullus bis in die Missam audeat celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate.* Idem cautum fuit in præsentis textu, & in *cap. referente, infra hoc tit.* Concil. Londi-

D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. III. Pars II.*

nienfis anno 1200. Oxonienfis anno 1222. tempore Honorii III. celebratum: *Ad hac duximus statuendum districtius, ne Sacerdos quisquam Missarum solennia celebret bis in die, excepto die Nativitatis & Resurrectionis Dominice, vel in exequiis defunctorum, videlicet cum corpus alicujus in Ecclesia eodem die fuerit tumulandum; & tunc prior Missa de die, posterior vero pro defuncto celebratur.* H. r. bipolente anno 1187. ibi: *Singulis presbyteris prohibemus, ut nisi unam Missam, nisi duas, in casibus a jure concessis, in die cantare, aut legere cum sacrificii celebratione præsumat.* Ravennat. 2. temporibus Clementis V. *rubric. 9. Cum iuxta canonicas sanctiones unicuique Sacerdoti, quantumcumque digno, unam tantum Missam in die sufficiat celebrare, & valde felix sit, qui Missam celebrat unam, districtius prohibemus, ne quis de cetero nisi unam tantum in die celebrat Missam, nisi in casibus a jure permissis.* Tolet. anno 1324. tempore Joan. XX. *can. 7. Nullus insuper absque causa necessitatis, excepto die natiuitatis Domini, præsumat nisi unam Missam celebrare in die.* Tolet. anno 1324. apud Binium *tom. 3. p. 2. Cum enim institutum sit sacrificium Missæ in memoriam Dominicæ passionis, Christus autem semel passus sit, non debet bis in una die ab eodem Sacerdote offerri.* Accedit, nam Sacerdotes suæ tenuitatis consilii, majori quam par sit beneficio se ornatos existimare debent, si Dominici corporis semel in die conficiendi potestas illis sit. Illustrat Saufay in *Parapl. Sacerd. part. 2. lib. 1. cap. 10. artic. 2. §. 2. Vazquez 3. p. disput. 232. cap. 5. Suarez, 2. & alii Moralista apud Henao *dist. tom. 1. disput. 22. sect. 1. Præd. de Eucharist. quæst. 83. dub. 16. §. 4. Theoph. tom. 16. in Heteroclitia spirit. scilicet 1. fol. 6. Menard. ad Sacram. D. Gregorii fol. 167. Salcedo in praxi, cap. 35. Petr. Greg. libro 1. part. titul. 9. cap. 7. & lib. 4. titul. 6. cap. 2. Landmeter. lib. 2. de veteri mon. cap. 82. Coriolanus in breviario, anno 140. Cresfolius libro 3. Mystag. cap. 28. sect. 3. Loayla in not. ad can. 5. Concil. Tolet. Dartis ad dist. 1. de consecr. D. Fr. Alfonsi Vazquez à Miranda, Abbas sanctæ Anastasie, de supplicatione ad Sanctissimum pro tribus Missis dicendis in die commemorationis Defunctorum. Fuisse verò olim utiturum ut non solum in die natalis Christi Domini, de quo supra egi, verum in aliis festiuitatibus, ut resurrectionis Domini, SS. Petri, & Pauli, Sancti Joannis plures Missæ celebrarentur, constat ex Strabone *de Eccles. offic. cap. 21. ibi: Romanorum usus habet duas, vel tres interdum unius solennitatis facere Missas, ut in natiuitate Domini Salvatoris, & aliorum festis Sanctorum: & reverà non esse absurdum crediderim si dum plures in una die faciendæ sunt Missæ, unus Sacerdos duas, vel tres necessitate, vel voluntate persuadente celebret potius quam quasdam dimittat.* Ad hoc accedit, quod totius usus Ecclesie habet sæpius Missas agere pro vivis, pro defunctis, pro elemosinis, & aliis diversis causis: quod etiam officia his attributa testantur. Et licet auctor ibi peculiare Sanctorum dies non exprimat, in quibus plures Missæ celebrantur; tamen id ex aliorum testimoniis probandum est. Et primò in nocte resurrectionis Dominicæ duas Missas celebrari, ex Fortunato, & Albino Flacco probat Vicecomes *dist. lib. 3. cap. 28.* In comite autem, sive lectionario sancti Hieronymi, ubi diei sancto Petro sacræ mentio fit, Lectio una, Evangeliumque**

Ecce legitur

legitur planè distinctum ab iis, quæ B. Pauli solennibus adscribuntur: quod evidenti argumento est; duas Missas eorundem Sanctorum natali die confici solitas esse. Cujus rei simile argumentum colligere licet ex B. Gregorii antiphonario, diversam Missæ antiphonam utrique Sancto præfinitis: quod ipsum facit liber Sacramentum B. Petri Missæ orationem aliam aliam S. Pauli enumerat. Idem S. Gregorius eod. lib. antiphonar. Missarum quæ die festo S. Joannis Apostoli conficiebantur, mentionem faciens, primam, & secundam nominat. Quare clarè significat, duas eo die Missas peractas esse. Gregorii verba hæc sunt: *Sancti in prima Missa antiphona: Ego autem sicut oliva, &c. In secunda antiphona: In medio Ecclesiæ.* Liber etiam Sacramentorum orationem unam, quæ albescere die; alteram, quæ plenâ luce recitabatur, enumerat, ad duplicem hanc ejusdem diei Missam alludens: *VI. (inquit ille) Kalend. Jan. id est XXVII. die mensis Decembris, natale Sancti Joannis Evangelista in primo mane: DEUS qui per os B. Apostoli ait Joannes, &c. In die: Ecclesiam tuam Domine. &c.* Quæ Gregorii testimonia ad utranque Missam demonstrandam pertinent. De Missa verò, quæ primâ luce offerebatur, præter Rodolphum Tungrensem cap. 23. meminit Amalarius Fortunat. de Eccles. offic. lib. 4. cap. 2. his verbis: *Similiter habemus officia constituta in festivitate Joannis Evangelista, & Joannis Baptista primo diluculo: qui utriusque ex utero matris, id est ab accepto lumine hujus mundi, in semetipsis sacrificium singulare quoddam Deo obtulerunt. Joannes Evangelista obtulit ab initio hujus lucis virginitatis sacrificium. Joannes Baptista sacrificium abstinence, qui nec vinum bibit, nec siceram, & Nazareus permansit omni tempore.* Hæc ille, quæ ut Sancti Joannis Apostoli duplicem Missam ostenderemus, allatâ sunt in medium. Verum si rectè considerantur, insuper declarant in B. Joannis Baptista natalitiis veteres sacramentum liturgiam Deo bis obtulisse. Ducimus autem argumentum ex eo, quod vox, *similiter*, co-

pulanda est cum verbis superioribus, quæ plures Christi nati Missas ostenderat, sicut eum consulentibus locum perpicuum est; & quia ibi appetentis diei Missam recenfer, præterquam aliam quoque celebratam esse, adducor ut credam, tum propter Sancti illius dignitatem, & excellentiam, tum præcipuè quia solennioribus anni diebus horâ tertiâ Missæ celebrantur, ut alibi ostensum est. Sed cur conjecturas sequor dum aperta testimonia suppetunt? Innumere sunt auctoritates, ex quibus id elici, probarique possit. Sed ego illustrioribus tantum immorabor. In Læctionario quidem S. Hieronymi, dum B. Joannis Baptista Missæ recenferentur, hæc scripta sunt: *In vigilia S. Joannis Baptista Lectio Hieremie Propheta, &c. Evangelium secundum Lucam. Item alia lectio in prima Missa Esaiæ Propheta, &c. Evangelium secundum Lucam, &c. Item in die sancto lectio Esaiæ Propheta, &c. Evangelium secundum Lucam, &c.* Ordo Romanus de divinis officiis, ibi: *In natali S. Joannis Baptista ideo tres Missæ celebrantur, id est una in vigilia ejusdem, dua in die natiuitatis ejus, quia tribus triumphis refultat insignis, id est officio Precursoris, Baptista ministerio, & quia Nazareus ex utero matris permansit.* Probant, & ita explicant Yepes in Chron. D. Benedicte cent. 5. anno 955. Baronius in Martyr. die 24. Junii, Vicecomes de Missa ritibus, dict. lib. 3. cap. 28. etiam aliter prædicta testimonia accipiant Azor tom. 2. lib. 1. cap. 25. quest. 1. Theophilus Raynaud. tom. 10. tract. de gladio & pileo fol. 590. Hodieque in regno Valentia sacerdotibus bis in die commemorationis Defunctorum Missam celebrare, refert Trullenich. in eodem regno scribens, lib. 3. de Sacram. cap. 8. dist. 10. num. 5. Sacerdotes ergo extra casus in jure permittos celebrantes graviter puniri per Inquisitores heretice pravitatis, ad quos pertinet hujus delicti punitio, ex Alfonso de Leon. refert Hieronymus Garcia de excellen. Sacerd. difficult. 2. dist. 5. num. 2. Quintanadvennas tom. 1. singular. tract. 4. singul. 10. num. 4.

CAPUT IV.

Idem Archiepiscopo (a) Bracharensi.

CONsiliu nostrum. (b) *Et infra*: Insuper requisisti, utrum in diebus (c) profestis, in quibus (d) ad honorem Sancti Spiritus, Beatæ Virginis, & Sanctæ Crucis celebrare contingit, Hymnus (e) Angelicus, (f) Symbolum, ac (g) Præfatio propria debeant decantari, præsertim cum in partibus tuis in honorem Beatæ Virginis, in Sabbathorum diebus Missa solenniter celebretur. Ad quod utique respondemus, quod apud nos in diebus profestis, eum Missarum solennia celebrantur in honorem Beatæ Virginis, neque Hymnus Angelicus, neque Symbolum decantatur; licet in Missa propria Præfatio decantetur, ut inter commemorationem, & solennitatem differentia ostendatur. Unde (h) Te Deum laudamus, regulariùs dimittitur, quàm dicatur in Laudibus matutinis.

NOTÆ.

(a) *Bracharensi.* Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2. De Bracharensi Lusitania Metropoli plura adduxi in cap. coram, de in integr. restit.

(b) *Et infra.* Alia pars hujus textus extat in sapite consilium, de observ. jejun.

(c) *Profestis.* Sicut festi dies dicuntur illi, qui Deo dicati sunt, ita profesti appellantur illi, in quibus laborandum est. Macrobinus lib. 1. Saturni. capite 16. ubi ait: *Festi dies sunt diei dicati; profesti hominibus, ob administrandam rem privatam, publicamque concessi.* Nonipa Marci.

Marcellus eos appellat à festiuitate vacuos, Unde Plautus in *Autul. act. 2. scen. 5.* ait: *Festo die si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi pepereris.* Vulgò nos ferias dicimus, ut jam notavi in *cap. 1. de treug. & pace*, & exponunt hujus vocis etymologiam Cironius in *cap. 2. hoc titul.* Vicecomes de *ritibus Missæ, volum. 3. libro 3. cap. 10.*

(d) *Ad honorem.* Ex voto videlicet ipsius celebrantis, vel illius, qui audit: de quibus Missis votivis egi jam in *cap. 2. hoc tit.*

(e) *Angelicus.* Gloria videlicet, ita dictus hic hymnus, quia per Angelos compositus, & decantatus fuit in natali Domini nostri Jesu Christi, *Luce cap. 2. vers. 14.* Ideo ab Apostolorum tempore semper in Missis festiuis dicitur, *cap. notis. de consecr. dist. 4.* tradunt Amalarius Fortun. *lib. 3. cap. 8.* Rupertus *lib. 2. cap. 21.* Omititur autem in diebus feriarum, & vigiliarum, ne in diebus planctus, & tristitia, gloriæ memoria resonet; exceptis tamen vigiliis intercedentibus à Pascha Resurrectionis ad Pentecosten, ex ratione adducta in *lib. gemma animæ, lib. 3. cap. 85.* In Ecclesiis autem Bethlehemitanis, quia ibi ab Angelis decantatus fuit hic hymnus, in omnibus diebus, etiam feriatis dicitur: in Missis etiam votivis, cum officium dicatur feriale, & in Laudibus omitatur *Te Deum laudamus*, non dicitur hic hymnus, ut in præfatio ita tuiur, & docent Herrera à *de ceremon. Missæ lib. 2. cap. 6.* Suarez 3 p de *Sacram. disput. 83. sect. 1.* Guietus de *festis Sanctorum lib. 4. de Missis votivis, cap. 22.* P. Henricus *tom. 3. de sacrif. Missæ, disput. 28. sect. 32.* In domo autem Lauretana etiam in Missis votivis B. Virginis Mariæ dicitur hymnus hic ex privilegio, quod refert Herrera *ubi supra.*

(f) *Symbolum.* Cujus etymon, & auctores retuli in apparatu ad hæc commentaria. Dicitur in Missis solennioribus, quas enumerat P. Herrera de *ceremon. Missæ lib. 2. cap. 22.* unde in feriis, & aliis minoribus festiuitatibus non recitatur; quare rectè in præfatio Innocentius docet, in Missis votivis symbolum hoc non recitari.

(g) *Præfatio.* Canticum hoc, quod dicimus *Præfatio*, jam à temporibus Apostolorum adjectum fuit in sacrificio Missæ, ut constat ex D. Clement. *lib. 8. constit. cap. 16.* & ex Liturgia S. Petri, quæ extat *tom. 1. Biblioth. Græco-Latin.* immò olim pro omnibus Missis diversa præfatio erat à piis viris composita: & quia hæretici aliquas præfationes corruperant, cautum fuit in Concilio Carthag. 3. *can. 23.* Milevit. *can. 12.* ut tantum ea præfatio cantaretur, quæ ab Ecclesia esset approbata. Novem præfationes suo tempore utilitas fuisse refert Gelasius in *cap. inuenimus, de consecr. dist. 1.* & temporibus Urbani III. per annos 1095. ex præfationibus compositis à Gelasio desumpta fuit præfatio B. Virginis Mariæ, quam refert Herrera *dist. lib. 2. cap. 26.* Illud summe notandum est, quod licet in Missis ferialibus, & votivis Hymnus Angelicus & Symbolum Apostolorum omitatur; tamen Præfatio in omnibus Missis recitari debet, ut cautum fuit in Concilio Valentini *can. 4.* ibi: *In omnibus Missis siue matutinis, siue quadragesimalibus, siue in iis, quæ pro Defunctorum commemoratione fiunt, sanctus, sanctus, sanctus eo ordine dicatur, quo ad Missas publicas dici debet.*

(h) *Te Deum.* Hæc verba non extant in dicta tertia collectione, verum autem est, hoc canticum à Sanctis Ambrosio, & Augustino compositum, non dici in officio feriali; quia hoc officium non letitiam, sed lætum, & poenitentiam continet.

CAPUT V.

Idem Clericis S. Petri de (a) Magdalon.

EX parte vestra. Et infra: Insuper postulastis, quomodo Sacerdos in Missa perfundere debeat, per litteras Ap. edoceri. Ad quod taliter respondemus, quod semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum perceperit Eucharistiæ sacramentum, nisi cum eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret.

NOTÆ.

1. (a) *Magdalon.* Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. 6. 14.* in hac sexta legitur *Magalon*, sed cum hæc epistola non reperitur inter editas à Sirleto & Bosqueto, certò cognoscere non possumus quibus clericis Innocentius in præfatio rescribat.

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur, & probatur.*
EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Sacerdos debet jejunus Missam celebrare, & si aliam missam est dicturus non debet post sumptam Eucharistiæ vinum perfundere in calice. Et sumere. Probat Concilium Oxoniense *can. 1.* ibi: *Si autem contingat duas Missas celebrare, statim ut presbyter postquam Dominicum Corpus sumserit in altari, si in eodem die Missarum solennia*
D.D. Gonzal. in *Decretal. Tom. III. Pars II.*

ipsum celebrari oporteat, iteratò vinum calici infusum vel digitis superfusum, sumere non presumat. *Et cap. 6. ibi: Jejunus hoc tit. cap. in sacramento, de consecr. dist. 1. cap. aliquando, de consecr. dist. 2. Concil. Trull. can. 29. Concil. Hippon. can. 30. ibi: Ut à jejunis altaris sacramenta celebrentur. Brachar. 2. can. 10. Cognovimus quosdam presbyteros in huius presumptionis audacia reitneri, ut Missas mortuorum etiam post acceptum merum, vel oblationem ausi sine consecrare: ideoque hoc præfixa evidentis sententia admonitione servetur, ut si quis presbyter post hoc editum non jejunus, sed quocunque jam cibo presumpso oblationem consecraverit in altari, continuo ab officio suo privatus, à proprio deponatur Episcopo. Marticon. 2. can. 6. ibi: Item decernimus, ut nullus presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino sacrificio contrectare, aut Missas privatis, festis, diebus*

Eccc 2

diebus concelebrare presumat. Altissiodor. can. 19. Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono post acceptum cibum, vel poculum Missas tractare, aut in Ecclesia, dum Missae dicuntur, stare. Tolet. 7. can. 2. Nullus post cibum, potumque, quamlibet minimum sumptum, facere Missas presumat. Afric. sub Bonifacio I. canon. 8. & 14. Constantinop. 3. generale 6. can. 19. Altissiod. cap. 29. Brachar. 2. cap. 10. Salesgustad. sub Benedicto VIII. & Henrico II. can. 4. D. Clemens epistol. 2. ad Jacobum fratrem Domini, & lib. 7. constit. cap. 37. Carthag. 3. can. 29. Matifcon. 2. cap. 6. Tolet. 2. cap. 2. Eutythianus Papa apud Burchardum lib. 5. Decret. cap. 25. ibi: Qui acceperit sacrificium post cibum, aut per aliquam modicam refectioem, nisi pro viatico, pueri tres dies, majores septem, clerici vigintitres dies poeniteant. Concil. Mogunt. 4. can. 33. D. Basiliius homil. de jejun. tom. 1. pagin. 325. ibi: Impossibile absque jejunio sacrificium aggredi in mystica, quae nunc est, & vera oblatione. Ordo Romanus titul. qualiter agatur. Concil. Provic. ibi: Nullus autem canet Missam, nisi jejunius. D. Chrysostomus epistol. ad Cyriacum Episcopum, ibi: Multa quidem adversus me confinxerunt, & dixerunt, quod ad communionem non jejunios receperim; & si quidem hoc feci, expungatur nomen meum de albo Episcoporum. Et cap. nihil 7. quest. 1. Plures SS. PP. auctoritates congregaverunt Crespius in summa, verbo Eucharistia à jejunio. Jodoc. Coccius tom. 2. thesauri, lib. 6. artic. 19. Illustrant ultra congeitos à Barbosa bio, Panellius in notis ad epistol. 63. D. Cypriani, num. 46. Landtmeter, de veteri cleric. lib. 1. cap. 81. Julte. in can. 41. Eccles. Afric. Suarez de sacram. disput. 68. artic. 8. sect. 3. P. Henao de Eucharist. disputat. 14. sect. 4. Filefac. de Quadrage. cap. 15. Vicecomes de ritibus Missae, volum. 2. lib. 3. cap. 29. & volum. 3. lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 5. Petavius de hierarob. cap. 10. Balsamon in can. 19. Synodi 6. in Trul. & in respons. Timothei Archiep. fol. 1096. Joannes Sanchez in select. disputat. 42. Lugo de sacram. disputat. 15. sect. 2. num. 25. Leander de Sacram. Eucharist. tract. 7. disputat. 5. quest. 13. & 14. Hieronymus Garcia in summa, tractatu 3. difficult. 5. dub. 2. punct. 3. num. 31. perdoctus vir Fr. Joannes Martinez à Prado de Eucharist. quest. 80. dub. 10. capite 2. Bellarminus lib. 2. de Missa, cap. 14. Theophilus tom. 16. tract. 1. punct. 3. fol. 29.

2. Impugnatur tradita assertio.

Sed pro dubitandi ratione in praesentem assertionem ita insurgo: Quaelibet Domini nostri actio debet esse vitae nostrae instructio, cap. 4. de elect. sed Dominus noster panem & vinum consecravit post cenam, & dedit discipulis suis non jejunis: ergo & nos similiter facere debemus, praecipue cum in Missae sacrificio specialiter Christi actiones represententur. Amalaricus Fortun. lib. 3. cap. 5. Augetur haec difficultas, nam adeo incompatible est jejunium cum Eucharistia, & Missae sacrificio, ut olim primis Ecclesiae faculis tempore jejunii nemini liceret Eucharistiam sumere, unde usus Missae vespertinae invaluit, de qua egi in cap. 1. hoc titul. quae ideo inducta fuit, quia sacrificium offerri, neque Eucharistia sumi poterat quando jejunium perseveranter observabatur, ut probat Albaspineus lib. 1. observ. cap. 14. per totum.

3. De jejunio cessario ad

Qua dubitandi ratione non obstante vera est praesens assertio, pro cuius expositione sciendum

est, Eucharistiam fumere ante omnem cibum vetustissimam esse Ecclesiae traditionem; non enim à jure divino hoc provenit, sed ab ipsis Apostolis institutum fuit: quod probat D. Augustinus epistol. 118. ad Januarium, & ex eo quod Apostolus ad Corinthios scribens epistol. 1. cap. 11. vers. 34. De eorum consuetudine miscendae Eucharistiae cum prophanis cibis ait: *Cetera cum venero disponam.* Unde deducit D. Augustinus, nullum tunc extare divinum praecceptum; quare certum est, Apostolos instituisse, ut tantum à fidelibus jejunis sacramentum Eucharistiae susciperetur, & ita inter Apostolicas traditiones praecceptum hoc communicandi cum jejunio naturali referunt Epiphanius lib. 3. contra haereses, in fine. Nazianz. orat. 40. Chrysostomus homil. 27. in primam ad Corinth. Basiliius in epistol. ad Casarem Patricium, Ildorus lib. 1. de officis Eccles. cap. 18. ibi: *Placuit Spiritui sancto per Apostolos, ut in honorem tanti sacramenti, os Christiani Dominicum corpus prius intraret, quam ceteri cibi.* Et illud saepius firmatum fuit variis Conciliis supra relatis, meminitque hujus praeccepti Tertul. lib. 2. ad uxorem, cap. 5. in illis verbis: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustet; & si sciverit, panem non illum credit esse, qui dicitur.* Et pia simplicitate legamus apud D. Bernardum de passion. Domini cap. 42. veteres etiam PP. aliquando post cibum sacrificium Missae obtulisse, ibi: *Legimus in vitis PP. qui hospitium spirituali charitate decemisti tempus consuetum ciborum anticipaverant: sed comedendo in charitate se nequaquam solisse jejunium existimabant, ita ut etiam aliqui post talem refectunculam Missarum celebrare solentia non timerent.* Quod quamvis nobis non conveniat attrahere in exemplum, ut similiter faciamus, quoniam quidem ab eorum perfectione nimium separamur; eos tamen sine peccato talia fecisse confidimus. Debet autem hoc jejunium esse naturale, quod includit carentiam, seu abstinentiam ab omni cibo, & potu, seu re, quae sumatur per modum cibi, aut potus: quare si quid sumatur per modum salivae, aut si per modum respirationis aliquid attrahatur, non violat jejunium, ut docent plures alios casus resolventes Leander ubi supra, Trullench. lib. 3. de Sacram. c. 6. dub. 5. Martinez à Prado dub. 11. Macedo de clavibus Petri lib. 4. cap. 17. qui plures casus circa hoc jejunium naturale resolvunt. Circa illum tamen communiter disceptatum, quando videlicet voluntariè, veluti se abluendo Sacerdos guttam sumit, notandum est responsum Timothei apud Balsam. fol. 1066. in haec verba: *Si quis jejunans, ut communicet, os lavans, vel in balneo aquam bibi volens, debetne communicare?* Resp. *Quia etiam invenitur saebanas occasionem prohibendi eum a communione, frequenter hoc faciet.* Cujus responsi sensus est, postea quod hodie dici non valet, cum sit contra adeo expressum Ecclesiae praecceptum, quid verò de degludiente chartam, granum, vel tabacum per os, aut nares, explicant Joan. Sanchez in select. disput. 42. Diana p. 5. tract. 13. resol. 1. Theophilus Raynaud. tom. 16. in Heterocol. spirit. punct. 3. Cum autem hoc praecceptum naturale non sit, sed positivum, certum est, posse interdum propter gravem causam cessare; quia lex positiva non obligat tam strictè, quin aliquando cesset. Unde additur in sess. 13. Concilii Constant. nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure, vel ab Ecclesia concessio. Et ita ab hoc generali praeccepto excipiuntur

tur infirmi, qui statim communicandi sunt etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant, l. 9. titul. 1. libro 1. recop. unde in capite presbyter. de consecr. dist. 2. jubetur, ut presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur. Faciunt Rupertus Tuicenis de divinis officiis lib. 10. cap. 18. ibi: *Nec cuiquam hac divina mysteria post cibum corporis traduntur, nisi iugeat ea, qua retardari non potest, instantis necessitas mortis.* S. Hildegardis visione 6. cap. 39. ibi: *Hoc officium a Sacerdotibus in sacrificio, in jejuniis ventris, & non in repletionis eius, celebrandum est, nec coagulatio esearum spirituale desiderium evacuet: quoniam prius etiam sumi debet spiritualis epulatio, & postea carnalis refectione. & quia etiam spiritus honorandus est, & caro refocillanda; nam hoc sacramentum spirituali desiderio, non carnali cupiditate accipiendum est. Et ideo in jejuniis, & non super epulis percipi debet, nisi necessitate illa, si homo in hac opinione posuit est, quod de mundo transiurus sit.* Utrum verò liceat pluries in eadem inimitate per modum viatici communicare, disputant Trullench. d. dub. 5. Martinez à Prado dist. quest. 80. dub. 11. §. 2. per totum. Hic casus venire potest tam laicis, quam clericis. In clerico verò specialiter prohibitio hæc cessat, si infideles, aut Ecclesie hostes irreverenter irruant in altare, quo sacrosanctum Christi corpus servatur; aut si fluminis inundatio, aut ignis vis, vel quæ alia similis occasio intercedat. In his enim casibus licet clerico jam soluto jejuniis sacramentum sumere, ut docent Suarez de Sacram. 3. p. dist. 68. sect. 3. Vazquez 3. part. in 3. disputat. 211. cap. 5. num. 57. quidem retolunt de Sacerdote, qui loco vini aquam calici infundit, & post sumptam hostiam in sumptione calicis defectum agnovit: nam tunc tenetur vinum consecrare, & pericere sacrificium. Vel si postquam sacrificium inchoavit, meminit se jejuniis non esse.

5. Traditur ratio de-
evidendi.

Ut ad rationem præsentis assertionis deveniamus varias adduxerunt rationes Baronius anno 34. num. 61. & anno 57. num. 230. & anno 201. num. 15. Albaspinus lib. 1. observ. cap. 15. Azevedo in l. 9. tit. 1. lib. 1. recop. Theologi supra laudati triplicem rationem hujus præcepti ecclesiastici assignant. Prima ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani corpus Domini intraret, quam ceteri cibi: Secunda propter significationem, ut scilicet deur intelligi, quod Christus, qui est res hujus Sacramenti, & charitas ejus, debet prius fundari in cordibus nostris, juxta illud Matthæi cap. 6. *Quartum primum regnum Dei.* Tertia propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc, quod homines cibis inordinatè utuntur. Quibus ego addo aliam, quia videlicet intensius fidei arcana animos penetrare viribus carnalibus destitutos Ecclesia judicavit; quia, ut ait S. Paulinus serm. 36. quando caro tabescit jejuniis, anima puritate pinguescit: quantum enim illi ciborum succus subtrahitur, tantum huic justitiæ virtus augetur. Facit Petrus de Riga in Aurora, ibi: *Sed tempus non servat idem, quando celebravit Hoc sacramentum vespere Christus homo. At nos conficimus mensam præcipientibus horis: Cum prius est sobrius, plus homo mente viget. Sic opus est nobis, quoniam medicato veri, Nullaq. vitalis actio debet agi. Neve rei desite reverentia debita tanta, Jejuno sacrum sumimus ore cibum.* D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

Paschalius lib. de Sacram. cap. 20. *Quod jejuniis communicamus satis provide, ut dum sobrietas flagrat in corpore, dum omnis fervor carnis conquiescit, & omnes animi sensus intelligentie, & discernendi ratione fortius vigent, illo prius cibo interior noster homo inebrietur, quatenus aciceps quod præminet in nobis, vegetatum caelesti dulcedine illud regat, & gubernet.* Nicolaus ad consulti. Bulg. cap. 65. Accedit usus Ecclesie in aliis Sacramentis recipiendis præcis sæculis usitatus; olim enim baptizandos etiam pueros debuisse esse jejunos, constat ex S. Augustino epistol. 28. de jejuniis parvulorum. D. Clemente lib. 7. constit. cap. 23. Cyrillo Hierosolym. catechesi 3. mystag. Gregorio Nazianz. orat. 4. in sanctum lavacrum. Unde Laurentius Surius in vita Sancti Sebastiani ait: *Deinde ab eis ad sanctum Polycarpum presbyterum, ubi ille persecutionis causâ latitabat, & narravit ei omnia quæ gesta erant. Quibus auditis sanctus Polycarpus gratias egit Deo, & una cum eo venit ad domum Nicostriati Protoscriarii; vidensque turbas credentium, salutavit eas cum omni gaudio, dicens: Beati vos omnes, &c. Quia ergo Demones omnes, qui filii tenebrarum sunt, contristantur; & omnes sancti Angeli, qui sunt lucis filii, gratulantur, accedat unusquisque, & det nomen suum hodierna die usque ad vespeream, præcurrente jejuniis, ut festinum baptismatis sacramentum opportunum tempus inveniat.* Simile exemplum refert Simeon Metaphrastes apud eundem Surius in vita sancti Stephani Papæ & sociorum, cap. 3. ibi: *Cumque & ipsum, & ejus filiam catechismo instruxisset, iussit eos jejunare usque ad vespeream, quemadmodum Christiane fidei canones, & ordo postulat. Cum autem venisset hora vespertina, benedixit aqua in eo loco, quem Pastoris titulum vocatum fuisse diximus. Itaque Nemesium in aquam demisit, & baptizavit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Illustrat Vicecomes lib. 4. de ritibus Baptismi, cap. 13. Similiter Confirmationis sacramentum debere jejuniis conferri, constat disertè ex Concilio Parisiensi lib. 1. cap. 33. Aurel. can. 3. apud Gratianum in cap. 6. de consecr. dist. 5. ibi: *Ut jejuniis ad confirmationem veniant.* Notavit Vicecomes lib. 1. de ritibus Confirm. cap. 15. Ibi tamen non præceptum, sed tantum consilium contineri docuerunt Bonacina de Sacram. dist. 3. q. unic. punct. 2. n. 14. Barbosa de potest. Episcop. p. 2. alleg. 30. n. 12. Narbonade arate ad actum human. anno 7. quest. 4. Covar. lib. 1. var. c. 10. n. 5. Vicecomes de ritibus Confirm. lib. 1. c. 14. & 15. Similiter penitentiam jejuniis esse imponendam, constat ex Concilio Carthag. 4. can. 80. ibi: *Omni tempore jejuniis manus penitentibus a Sacerdotibus imponatur.* Illustrat Isaacus Lingon. cap. 8. tit. 16. & 17. Otalora de irregul. ex penit. excursu 4. Ordinis etiam sacramentum jejuniis, & temporibus juniorum esse administrandum, expressè cavetur in can. 7. 75. dist. cap. 3. de tempor. ordin. ubi plures congesti. Tandem omnia Sacramenta, Concilium Ravenat. 2. tempore Clementis V. rubric. 6. Statuimus, quod omnia Sacramenta Ecclesiastica, quantum possibile fuerit, a jejuniis ministrantur. Et juramentum, quia etiam lato modo dicitur sacramentum, a jejuniis esse præstandum, probavi in c. 1. de testibus. Rectè ergo Apostoli & eorum successores in augustissimo hoc Eucharistiæ Sacramento statuerunt, ut jejuniis tantum possint illud recipere: quod adeo observatum semper legimus, ut cum primis

Ecclesie temporibus, quando supererant aliqua fragmenta panis consecrati, tradebantur pueris, quia ob favas perfectiones custodiri non poterant, ut probabimus infra, in cap. 1. de custod. Eucharist. tamen debebant pueri illi esse jejuni, ut possent ea percipere. Quod firmatur celebri exemplo, quod refert Evagrius lib. 4. de Eccles. hystor. cap. 36. Immo & fideles olim jejunos Missae sacrificio interfuisse, constat ex Concilio Altiffod. in can. 19. supra relato, & ex auctore vite Sancti Valerici Abbatis, qui refert duos fratres ab ipso Abbate reprehensos fuisse, eo quod die, qui sancto Martino erat sacer, ante Missarum solennia potionem sitim depulissent, ibi: *Contingit vero duos germanos ad illum venire feris B. Pontificis Martini, quos ille oburgans dixit: Miror quia temeritate ausi fueritis ante Missarum solennia bibere.* Ex sancto Bernardino Senensi serm. 37. in Advent. Vincentio Ferrerio serm. unic. in Orationem Corporis Christi. Quorum verba referunt P. Henao tom. 3. de sacrif. Missa, dispus. 30. sect. 19. Theophilus Raynaud. tom. 16. in Heteroclo. spir. punct. 2. fol. 20. Vicecomes volum. 3. de Missa ritibus, lib. 2. cap. 5. Recte ergo in presenti textu statuit Innocentius, ut si ob aliquam causam ex relato supra in cap. consultuit, presbyter duas, vel tres Missas celebraturus sit, post communionem non sumat vinum perfusionis; quia alias non manebit jejunus ad communicandum in secunda Missa: in casu tamen extremae necessitatis olim licuisse non jejunis Missam celebrare, probatur ex Concilio Salegust. can. 14. ibi: *Decretum est etiam in eodem Concilio, ut presbyter aliquis post galli cantum astrictis noctibus bibens proximo die Missam non celebret; hiemalibus similiter, nisi necessitas cogat: quod nullo modo admittendum est.*

6.
Dissolvi-
tur dubi-
tandi ra-
tio.

Nec obstat difficultas supra adducta; qua motus Lutherus in libro contra Regem Angliae edito anno 1522. asequitur Calvinus lib. 1. de Missa, cap. 14. asseruit communionem licere, sive quis antea manducaverit, sive biberit. Sed facile respondetur ex eo, nam ut docent omnes de institutione hujus Sacramenti agentes, causa ob quas Christus Dominus illud instituit vespere, & post esum Agni, fuerunt propriae, & peculiariae illius temporis, & illius individuae actionis; & ideo quoad hanc partem factum illud Domini nostri in exemplum adduci, ut docuerunt D. Cyprianus epist. 63. ibi: *At enim non manet, sed post cenam mixtum calicem obtulit Dominus. Nunquid ergo Dominicum post cenam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vespere diei, ut hora ipsa ostenderet occasum, & vespere mundi. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus.* Et ut Geladius Cyrenus lib. de duabus naturis scite dixit, ostendere voluit Eucharistiam non praebere ad cibandum corpus, quod jam fuerat factum expletis epulis: ac etiam D. August. epist. 118. *Salvator quo vehementius commendaret mysterium illius altitudinem, ultimum hoc voluit altius insigere cordibus discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat.* D. Isidorus lib. 1. de eccles. offic. cap. 18. ibi: *Hoc sacrificium quod Christianis celebrare preceptum est, fit a nobis, quod pro nobis ipse Dominus fecit, quod non manet, sed post cenam in vespere obtulit. Sic enim Christum oportebat adimplere circa vespere diei, ut Dominus hora ipsa sacrificii ostenderet*

vesperam. Proinde autem non communicaverunt jejuni Apostoli, quia necesse erat, ut Pascha illud typicum antea impleteretur. & denuo ad verum illud Pascha sacramentum transirent. Hoc enim in mysterio tunc factum est, quod primum discipuli corpus, & sanguinem Domini nostri non acceperunt jejuni; ab universa autem Ecclesia nunc a jejuniis semper accipitur. Venerab. Beda in cap. 22. Luca. *Quod si quem movet, cum cenatis Salvator Apostolicum corpus, & sanguinem tradiderit, quare nos non universa Ecclesia consuevit a jejuniis docemur eadem sacramenta percipere, audiat breviter, ideo tunc canonicos communicasse Apostolos, quia necesse erat Pascha illud typicum ante consummari, & sic ad veri Paschalis sacramenta transire. Nunc in haeremantibus, tamque terribilibus sacramenti placuisse Magistris Ecclesiae, primo nos Dominicae passionis participatione muniri, & spiritualibus epulis exteriori, interiusque sacrari, ac deinde terrenis dapibus corpus, & vultibus scis refici. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum ex Missis vespertinis; nam in diebus jejuniorum olim sacrificium offerebatur adhuc fidelibus jejuantibus; & jejunium protrahatur usque dum Missa sacrificium offerretur; & ita ad vespere jejunium solvebatur. Micrologus de Eccles. offic. cap. 49. ibi: *Est ecclesiastica consuetudo, ut ad nonam reficiantur, cum ad sextam Missam celebramus: ad vespere autem cum ad nonam sacrificamus.* Theodoliphus ad Presbyt. Aurel. de jejuniis distendit: *Audiat Missarum solennibus, sive vespertinis officiis, largitis elemosinis, ad cibum accedendum est.* Et ita Missa sacrificium, quod in aliis diebus hora tertia offerebatur, in diebus jejunii usque ad vespere protrahatur, ut finitius divinis officiis jejunium solveretur, c. solent, de consecr. dist. 1.*

Sed supra traditis obstat textus in can. 29. Synodi Carthag. 3. in illis verbis: *Ut sacramenta altaris, non nisi a jejunis hominibus celebrentur, exceptis uno die anniversario, quo cena Domini celebratur.* nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio faciendus est, solus orationibus fiat, si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur. Ex quibus aperte deducitur, feria 5. in Cena Domini sacrificium Missae a non jejunis offerri posse. Pro cuius canonis expositione sciendum est, in Ecclesiis Alexandrinis, Africanis, & aliis consuetudinem invaluisse celebrandi Missae sacrificium post epulum, ut de Aegypto, & Thebaide refert Socrates lib. 5. hyst. cap. 21. ibi: *Porro de synaxi varia consuetudines sunt; nam quamquam omnes ubique in orbem terrarum Ecclesia singulis septimanis vespertibus die Sabbati mysteria celebrent, Alexandrinam, & Romani ex antiqua traditione istud sacramentum sunt, & ii, qui Thebaidem incolunt, Sabbato synaxim exequentur illi quidem, sed non ut mos fert Christianorum mysteria participare, nam ubi epulis sunt, & variis cibariis se saturarunt, sub vespere oblatione facta mysteria communicant.* Sozomenus lib. 7. cap. 19. *Ex eis notatur Vicecomes volum. 2. de ritibus Missa, lib. 2. c. 1. Petavius de hierarch. ubi supra. In Ecclesiis Africanis diutius inolevit mos celebrandi quinta feria in cena Domini post epulum, ut constat ex D. Augustino epist. 118. ad Januarium, ubi de feria 5. sanctioris hebdomadae loquens ait: *Nec ideo putari debet, in jussum esse in illis locis, ut illo die post refectorem offeratur, quia scriptum est idem idem: Et calicem accipiens post cenam, dicens, &c. Ipsam enim potuit appellare cenam,* quod*

quã jam corpus acceperant, ut deinde calicem acciperent. Illud magis movere potuit homines, ut jam refecti die illa, vel offerrent, vel sumerent Eucharistiam, quod in Evangelio legitur: Cum autem illi manducarent, accepit Iesus panem, & benedixit, cum jam superius dixisset: Cum sero factum esset, recumbebat cum duodecim, & manducantibus eis dixit, quod unus ex vobis me tradet. Notarunt Zonaras, & Balsam. in can. 29. Synodi 6. Sed eam consuetudinem improbarunt PP. Concilii 6. in Trullo, can. 29. his verbis: *Carthagenensis Synodi canon dicit, ut sanctis altaris non nisi à sobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo cœna Domini peragitur: tunc foras se propter aliquos in iis locis occasiones Ecclesie utiles Patribus hac dispensatione usis. Cum nihil ergo nos inducat, ut accuratam diligentiam relinquamus; facimus; Apostolicas, ac paternas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesima postrema septimanã, quintã feriã jejuniũ solvere, & totam Quadragesimam injuriã afficere. Ubi nihil aliud est jejuniũ solvere, quã non jejuniũ ministrum lithurgiam agere, ut exponit Zonaras in illius canonis commentario, ubi causam talis abrogationis his verbis Latine versis expressit: Cum reliquo toto anni tempore sacra altaris mysteria à jejuniis hominibus celebranda esse, Patres olim Carthagine decrevisset, quoniam Nabulominus magnam, ut vocant, feriam, quod solennis in ea cœna Dominica apparatus exhiberi solet, exceperet; sed eum quoque dem à sacrorum ministris jejuniũ transigi sexta huius Synodi PP. presentis canonis constitutione jubent: habuerunt siquidem forte divini PP. inquit, que sequerentur, ut in his locis decretum illud Ecclesie profuturum existimarent: nunc verò necessitatis omni excusatione sublata, sanctionibus Apostolicis, majorumque decretis negligentius obtemperare, ac unius diei violatò jejuniũ, totam quantum in nobis est, Quadragesimam deturpare, collectumque tot dierum spatio fructum effundere non oportet. Quod verò de Apostolicis, Patrumque constitutionibus asserunt, in eo sexagesimum nonum canonem Apostolorum, & Laodicenã Synodi quinquagesimum intellexere: notarunt Pamelius ad D. Cyprianum epist. 63. num. 46. Fielicetus de Quadragesima cap. 15. Vicecomes vol. 3. de rit. Missar. 1. cap. 9. Novarinus in Agno Euchar. lib. 5. cap. 58.*

8. Ex suprã traditis exponendus est textus in Explicatur cap. relatum 11. de consecr. dist. 2. ubi PP. Concilii Toletani improbant abusum quorundam presbyterorum, qui dum in una die plures Missas celebrabant, tantum in ultima corpus Domini sumebant, & jubent, ut in omnibus sacrificiis ab ipsis in eadem die oblati semper communicent. Qui textus accipiendus est juxta

suprà tradita, non sumptã purificatione calicis in priori Missa. Error autem eorum Sacerdotum, ni fallor, proveniebat ex eo, quia credebant, per communionem in priori Missa acceptam, jejuniũ naturale violari, & amplius eos non manere jejunos, ut possent in secunda, aut tertia Missa communicare, discrimen non agnoscens inter sumptionem corporis, & sanguinis Domini, & purificationem calicis per vini perfusionem. Licet enim jejuniũ naturale ad communicandum necessarium violetur per purificationem calicis, siquidem tunc sumitur vinum non consecratum, licet in parva quantitate, ut ante nostrum Innocentium III. docuit Joannes Belletus in explicatione divinatorum officiorum, cap. 31. ibi: *Altera questio est, possitne Sacerdos celebrare secundam Missam in eo casu, quo in precedenti, dum manus ablueret, aliquantulum aquæ degustavit? Certè enim & illud vetitum esse sciendum est. Tamen per communionem Eucharisticam non frangitur jejuniũ naturale, quia corpus & sanguis Christi sub his speciebus non sunt cibus, & potus corporis, sed anima; ut docuit Alfonso Rex in l. 50. tit. 4. part. 1. & exponunt Margallus in hoc tit. Diana part. 11. tract. 6. resol. 15. Araujo 3. p. quest. 74. artic. 8. & contra Paludanum, & Fagundezium, qui contrarium docuerunt, defendit P. Henao de sacrif. Missæ tom. 2. disp. 22. sect. 4. qui num. 49. inde exponit Tertullianum in lib. de orat. cap. 14. Cum ergo per communionem Eucharisticam non violetur jejuniũ naturale, sed per sumptionem vini purificationis calicis, ideo PP. Concilii Tolet. in d. cap. relatum, reprehendunt Sacerdotes, quia in omnibus Missis à se celebratis non communicabant prætextu violati jejuniũ, jubentque ut in omnibus Missis corpus Domini recipient, nullam tamen faciunt mentionem vini non perfundendi, aut purificationis non sumendæ; forsitan quia adhuc in Ecclesia hæc perfusio non erat in usu. Inde etiam cognosci potest Græcorum Stercoranistarum stupiditas, qui credebant per communionem Eucharisticam solvi jejuniũ Ecclesiasticum, quos reprehendunt Algerus lib. 2. contra Bereng. cap. 1. ibi: *Non sunt observanda Græcorum hereticorum, qui merito Stercoraniste vocantur, delramenta, qui dicunt, participatione corporis, & sanguinis Christi solvi Ecclesiastica jejunia, & celestem escam, velut terrenam, indifferenter accipiunt. Humbertus Cardinalis contra Nicetam Pectoratum, ibi: Perfidii Stercoraniste, qui putant fideli participatione corporis & sanguinis Domini quadragesimalia, atque Ecclesiastica dissolvi jejunia. Refert Theoph. Reynaud, tom. 16. in Heterocol. spirit. sect. 3. punct. 2. folio 407.**

Eeee 4

CAPUT

CAPUT VI.

Idem (a) 2. quondam Archiepiscopo Lugdunensi.

CUM Marthæ circa plurima fatagentis officio, in cura regiminis pastoralis pro majori parte renunciatis, in domo Domini quasi abjectus elegeris habitare cum illis, qui partem optimam elegerunt, sedentes ad pedes Domini cum Maria, ut in lege ejus jugiter meditentur, lippitudini Liæ Rachelis pulchritudinem præferentes: eam in te vigere credimus intelligentiam scripturarum, ut non solum parvulis frangere possis panem, sed provectis etiam cibum solidum ministrare, ac nodos solvere difficultum quæstionum. Verum quoniam in Primatu Apostolorum Principis Apostolicæ Sedis Magisterium recognoscens, ad eam credis majores causas Ecclesiæ referendas: consultationibus tuis, quas non ob commodum utilitatis terrenæ, cum civilem non contineant quæstionem, sed animarum profectum, ut videlicet in lucem prodeant obscura scripturarum, novitius te movisse, libenter, quod nobis inspirat Dominus, respondemus. Quævisisti, quis formæ verborum, quam ipse Christus expressit, cum in corpus, & sanguinem suum panem (b) transsubstantiavit, & vinum illud in canone Missæ, quo Ecclesia utitur generalis, adjecerit: quod nullus Evangelistarum legitur expressisse. Cum enim in Evangelio sic legatur: Accipiens calicem, gratias agens benedixit, & dedit discipulis suis: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: in canone Missæ sermo iste, videlicet: Mysterium fidei, verbis ipsis interpositis invenitur. Unde cum non Evangelista Christum hoc dixisse testetur, miraris, quod aliquis asseverare tentaverit, eum aliquid plus dixisse, quam aliquis Evangelistarum asseveret. Verum si (c) formam ipsius canonis inspicias diligenter, præter hoc, de quo tua fraternitas requisivit, alia duo, videlicet: Elevatis oculis in cælum, &: Aeterni Testamenti, poteris in ipso canone reperire, quæ in textu Evangelico non leguntur. Sanè multa, tam de verbis, quam de factis Dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli, vel supplevisse verbo, vel facto expressisse leguntur. Paulus enim in Actibus Apostolorum ficat: Meminisse nos oportet verbi Domini Jesu, qui dixit: Beatus est dare, quam accipere. Hac nullus quatuor Evangelistarum descripsit. Nullus etiam horum expressit, quod Paulus de Christo ad Corinthios scribens ait: Visus est plusquam quingentis fratribus simul: deinde visus est Jacobo: novissimè autem, tanquam abortivo, visus est & mihi. Ipsi etiam Evangelistæ mutuo inter se supplevisse leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus sunt omissa. Unde cum tres Evangelistæ posuerunt: Hoc est corpus meum, solus Lucas adjecit, quod pro vobis tradetur. Et cum Matthæus, & Marcus dicant: Pro multis, Lucas dicit: Pro vobis. Matthæus autem: In remissionem peccatorum, adjunxit. Cæterum ea, quæ adduntur in canone Missæ, possunt ex aliis locis comprobati. Joannes enim in suscitatione Lazari Jesum sursum oculos levasse asserit, & dixisse: Pater, gratias ago tibi, quoniam audivisti me. Et infra: Si tunc igitur in cælum oculos levavit ad Patrem, cum ad corpus exanime animam Lazari revocavit, probabilius esse videtur, quod tunc oculos levaverit ad Patrem in cælum, cum panem, & vinum in corpus, & sanguinem proprium commutavit. Cæterum, sicut superius est expressum, cum in textu Evangelico: Novi Testamenti, ponatur: hic interponitur: Et æterni. Nam Vetus Testamentum, quod hircorum, & vitulorum fuit sanguine dedicatum, temporalia promittebat: novum autem, quod est Christi sanguine consecratum, promittit æterna. Et ideo testamentum illud fuit vetus, & transitorium: hoc autem novum est, & æternum. Vel ut utamur alia ratione, unde novum, id est, ultimum esse describitur: inde æternum, id est, perpetuum: novissimum etenim hominis testamentum immobile perseverat, quia testatoris obitu confirmatur, juxta quod Apostolus testamentum in morte asserit confirmatum: alioquin non valet, dum vixerit, qui testatur. Præterea non solum Scriptura, sed etiam promissio dicitur testamentum, juxta quod ipse Apostolus scribit: Ideo Novi Testamenti mediator est, ut remissionem accipiant, qui vocati sunt, hæreditatis æternæ. Sic ergo in ipso canone reperitur: Hic est enim sanguis meus, novi, & æterni Testamenti, id est, novæ, ac æternæ promissionis scilicet confirmator. Sicut Dominus repromittit: Qui manducat (inquiens) carnem meam, & sanguinem meum bibit, habet vitam æternam. Ex eo autem verbo, de quo movit tua fraternitas quæstionem, videlicet: Mysterium fidei, munimentum erroris quidam trahere putaverunt, dicentes, in sacramento altaris non esse corporis Christi, & sanguinis veritatem, sed imaginem tantum, & speciem, & figuram: pro eo, quod Scriptura interdum commemorat id, quod in altari suscipitur, esse sacramentum, & mysterium, & exemplum. Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt, quod nec aucto-

ritates

ritates scripturæ convenienter intelligunt, nec sacramenta Dei suscipiunt reverenter. Si enim quasi figura est sacramentum altaris, veritas esse negatur: ergo nec mors, nec resurrectio Christi (cùm figura sit) veritas est credenda: siquidem mortem, & resurrectionem Christi similitudinem, & imaginem esse Apollolus manifestat: Christus, inquam, mortuus est pro delictis nostris, & resurrexit propter justificationem nostram. Apostolorum etiam Princeps Petrus sic in epistola sua scribit: Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Sic ergo tam mors Christi, quàm ejus resurrectio est exemplum, ut & nos peccato mortui, justitiæ jam vivamus. Quare, si non fuit veritas, quia fuit exemplum: ergo nec verè mortuus fuit Christus, nec verè à mortuis resurrexit. Sed absit à fidelium corde error iste, cùm Propheta de ipso testetur, quod verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Dicitur tamen mysterium fidei, quoniam aliud ibi creditur, quàm cernatur; & aliud cernitur, quàm credatur. Cernitur species panis, & vini: & creditur veritas carnis, & sanguinis Christi, ac virtus unitatis, & charitatis. Quod autem mysterium fidei dicitur in hoc loco, alibi secundum Joannem spiritus, & vita narratur: nam spiritus est in mysterio, juxta illud: Littera occidit, spiritus autem vivificat. Fides, quæ est vita, secundum quod legitur: Justus ex fide vivit, propter quod dicit Dominus ipse: Verba quæ loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

NOTÆ.

(a) *Quondam.* Ita legitur in tertia collectio-
ne, sub hoc tit. cap. 5. & in ipsa epistola, pro-
ut eam refert Manrique tom. 3. *annal. Cisterc. an-
nal. 1202. cap. 1.* & anno 1202. scriptam fuisse epi-
stolam hanc refert Ordericus Raynaldus *eodem
anno.* De hoc Joannita legitur in tabulis Eccle-
siæ Lugdunensis apud Jacobum Sebercium, Joan-
nem Chenu, & Robertum Claudium: *Joannes I.*
quibusdam de *Bellismanibus*, sed malè; rectius:
Joannes Bellismeus, seu *Bellemensis*, erat enim filius
Guillelmi Talnas, Domini Bellemensis, Alaa-
conii, & Pontivenis, seu Pontivi Comitit, &
B. Comitissæ Barenensis, seu de Barena, Guillelmi
uxoris secundæ, qui cum ea divortium fecit, quia
cognatam fuisse uxoris defunctæ proponeret: qua
de re est caput *Porrè*, extra de divortii. Et in
tabulis Ecclesiæ Pictav. apud Chenu ita habetur:
Joannes tertius homo doctus, & integræ vitæ,
primò Episcopus Pictaviensis, & postea Narbon-
nensis Archiepiscopus electus anno 1181. tandem
Archiepiscopus Lugdunensis à Lucio III. Papa
creatus, & ejusdem in Francia Legatus: sed post-
ea velut gloriæ mundi fauciatus, infulis deposi-
tis habitum monasticum in Clarevalle induit,
ut de eo agens refert Rogerius Oveden. *part. 2.
annal.* his verbis: *Renunciassè Archiepiscopatus,
& monachum factum in Abbacia Clarevallesi, ad
mortem usque cum maxima pietate, & devotione
perseverassè.* Unde Innocentius III. in principio
hujus textus ait cum Marthæ sollicitudinem in
Mariæ quietem mutasse.

Sed ut historia, seu occasio hujus epistolæ
Decretalis agnoscat, sciendum est, jam anno
Christi 1188. Gaufridum venerabilem Abbatem
Clarevalensem consuluisse Henricum Cardina-
lem, ut per ipsum à Sede Apostolica respon-
sum acciperet super difficili illa quæstione, an
aqua cum vino in calice admixta converte-
retur in sanguinem Domini mediâtè, vel imme-
diâtè. Epistolam ipsam consultationis Gaufridi
referunt Baronius *anno 1188.* Manrique *d. tom. 3.
annal. Cisterc. in eodem anno cap. 3.* Sed cùm nul-
lum adhuc responsum dictæ consultationi daretur,
& Joannes vir perdoctus degeret in ipso
cœnobio Clarevallesi, ubi inter discipulos
ipsius Gaufridi ipsa quæstio sæpius disputaba-

tur, ipse veritatis agnoscendæ gratiâ, tam in ea
quæstione, quàm in aliis duabus, altera de verbis
consecrationis calicis, de secreta pro B. Laurentio
dici solita alia, consuluit Innocentium III. qui in
præsenti illustribus quæstionibus sigillatim res-
pondet. Primæ de verbis consecrationis calicis
in principio suprâ relato: Secundæ verò de con-
versione aquæ mediâtè, vel immediâtè in sangui-
nem Domini in §. *Quævisisti*: Tertiæ de oratione
hucusque dici consueta pro B. Leone in §. 3.

(b) *Transsubstantiavit.* Quæ transsubstantia-
tionis vox approbata fuit in Concilio Later. gene-
rali sub Innocent. III. ut ex eo constat, & notavit
Corjolanus in *breviario, anno 1215.* Nec eam vo-
cem SS. PP. incognitam fuisse, nec novellam in Ec-
clesia, constat ex sancto Cyril. Hierosolym. ibi:
*Aquam aliquando in vinum commutavit; & non
erit dignus, cui credamus, quod vinum, & sanguinem
transmutaverit.* D. Ambrosio de iis, qui in ianua
mysterii, *can. 9.* ibi: *Quantis utimur exemplis, ut
probemus, non hoc esse quod natura formavit, sed be-
nedictio consecravit, majorem vim esse benedictio-
nis quàm nature, quia benedictione ipsa natura mu-
tatur.* Gregorio Nysseno relato à Bellarmino in
Apol. contra Regem Angliæ, cap. 8. De ea agunt Pe-
trus Damianus *epist. ad Blancam*, Petrus Cluniac.
contra Petrobrufianos. Innocentius noster in *lib.
de myster. Miss.* D. Bernardus, Bonaventura, &
D. Thomas laudati à Corjoloano ubi proximè.

(c) *Formam ipsius canonis.* Canon pro mysti-
cis precibus, quibus actio divina celebratur, acci-
pitur, quæ divinæ actionis celebrior nuncupatio,
quàm apta sit, proprio ipso & nativo signifi-
ficatu patet. Est enim regula, ordo, formula, ac
ritus solennis, quo sacratissima hæc oblatio
fieri debet, & quam vel præmittere, vel mu-
tare nemini licet; idcirco enim sic concepta hæc
regula fuit, tam ex verbis Domini, quàm Apo-
stolica traditione, & Ecclesiæ auctoritatè, ac
constanti usu, ut ex nullius penderet privato
arbitrio. Circa auctorem ejus, & originem non
consentiunt cum Catholicis hæretici: sed nos
regulam certam habemus in præsentem, & in
Concilio Trident. *sess. 22. cap. 4.* ubi de canone
Missæ ita cautum est: *Et cum sancta sanctè ad-
ministrari conveniat, sit, hoc omnium sanctissi-
mum sacrificium, Ecclesia Catholica, ut dignè, re-
verenter*

verenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum canonem multis ante seculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem quandam redoleat, mentesq. offerentium in DEU M erigat. Id enim cohñtat, tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. Probant ab ipso Apostolorum Principe in sua liturgia canonem hunc fuisse appositum B. Isidorus lib. 1. de Eccles. offic. cap. 15. ibi: *Ordo autem Missæ, vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum à S. Petro est institutus, cuius celebrationem uno, eodemque modo universus peragat orbis.* Et non obscure de ipso canone loquitur D. Paulus epist. 1. ad Timoth. cap. 2. ibi: *Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut preces accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in mensa Domini, incipiat benedici, cum benedicatur, & sanctificatur, & ad distribuendum committitur.* Quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominicà oratione concludit. S. Clemens epistol. 2. ad fratrem Domini: Linus Pontifex in actibus sancti Petri, Vigilius Papa in epist. ad Eleutherium, cap. 5. ibi: *Quapropter cum ipsius canonice precis exitum dixerimus subter directum, quem Deo propitio ex Apostolica traditione suscepimus.* Probat latè Saufay in panopl. Sacerd. p. 1. lib. 1. cap. 5. & ut aperte cognoscatur, canonem, quo hodie utitur Ecclesia, esse compositum à sancto Petro ex liturgia ipsius, quæ extat in biblioth. Patrum, in tom. 2. Græco-Latin. cap. 19. illum transcripsit Herrera de ceremon. Missæ lib. 3. cap. 2. Sed contra primò obijciunt Novatores, quod si canon iste à Domino, & Apostolis fuisset institutus, ab Ecclesia fuisset communi consensu susceptus, & ubique servaretur: sed Ecclesiæ Orientales utuntur liturgiis Sancti Basilii, & S. Chrysostomi: Hierosolymitana S. Jacobi: Mediolanensis servat ritum Ambrosianum, & Hispania olim utebatur Liturgia Mozarabum. Ergo quia canon Missæ pro universali Ecclesia non fuit à S. Petro, & Apostolis institutus. Nam responderetur, liturgias eas esse quidem verbis diversas, sed rebus ipsis non dissimas, sed planè conformes, ut ipsas conferentibus facile patebit: in singulis enim, & omnibus fiunt, sicut Apostolus præcipit 1. ad Timoth. cap. 2. orationes, obsecrationes, postulationes, pro omnibus hominibus gratiarum actiones, maxime verò consecratio, oblatio, mortis Domini commemoratio, sanctorum memoria, & oratio pro defunctis. Unde liturgiæ illæ mirè conveniunt. Obijciunt etiam Novatores canonem Missæ fuisse à pluribus Pontificibus compositum, utrefert Polydor. Vergil. lib. 5. de invent. rer. cap. 10. his verbis: *Canonis partem: Te igitur, qua deinde initium esse cepit, Gelasius dedit, sicut ante eum Syricus: Communicantes, quod nunc tertio loco ponitur. Alexander I. qui Gelasium, & Syricum longo temporis intervallo præcessit, ob memoriam passionis Christi posuit: Qui pridie quam pateretur, &c. Leo deinde adiecit: Hanc igitur oblationem, usque: Placatus accipias. Gregorius tres subjunxit: Postulationes, &: Dies, nostros in tua pace disponas, &c. Eiusdem quoque primi Leonis est: Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Sed facile responderetur, Gregorium, Leonem, Gelasium, & alios

ea verba non de novo adiecisse, sed jam ab scriptoribus omnia instaurasse, & restituisse, ut docet Herrera d. lib. 3. de cerem. Missæ, cap. 3. & singula verba suis auctoribus referens, probat Saufay d. lib. 1. cap. 5. in digressu de can. Missæ. Tandem opponunt locum D. Gregorii lib. 7. epistol. 63. ubi respondens querentibus, quibus pulsatus fuerat, ob mutationes quasdam in forma liturgica, & nominatim quòd iussisset Orationem Dominicam mox post canonem recitari, sic scribit: *Orationem Dominicam iactò mox post preces dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationem hostiam consecrarent: & valde mihi inconvenerit visum est, ut preces, quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam orationem, quam Redemptor noster composuit, super eju corpus, & sanguinem iaceremus.* Ex quibus verbis deducunt primo, Apostolos tantum ad Orationem Dominicam Missam celebrasse, id est orationem Dominicam recitatam tantum consecrassè. Secundo quendam scholasticum auctorem fuisse hujus Canonis. Ergo non ab Apostolis, seu ut dicebamus, à liturgia D. Petri originem trahit. Pater Theophilus Raynaud. de prima Missa cap. 4. existimat, verè Liturgiam cum suo Canone ab Apostolis compositam fuisse, sed frequentius cum per tempus, & occupationes licebat, eos tantum ad Orationem Dominicam celebrasse. Andreas Saufay in Panopl. sacer. p. 2. lib. 1. fol. 373. credit distinctionem illam solummodo, irrepisse in epistola D. Gregorii, & ab ejus contextura alienam esse. Sed verius dicendum credo cum Landtmeter. lib. 2. de veterim. cap. 81. ad solam Orationem Dominicam Apostolos consecrassè, videlicet antequam Canonem instituisent: nam postea non solum Canonem, verum & preces, quibus hodie Ecclesia utitur, in Missæ sacrificio effundebant. Sanctus Proclus in libel. de tradit. divine liturgiæ: ibi: *Postquam Servator noster in cælum assumptus est, Apostoli priusquam per orbem terrarum dispergerentur, conspirantibus animis ad toto die orandum convertebantur, & cum multam consolationem in mystico illo Domini corporis sacrificio postquam invenissent, suffragane, & longà oratione liturgiam decantabant. Hac enim divina, una cum docendi ratione conjuncta, cæteris rebus anteposenda existimabant, atq. majori, & alacriori verum divinarum, & sacrificii sacrosancti desiderio flagrabant, & illud prolixè amplectebantur, quod in memoria semper haberent illud verbum Domini dicentis: Hoc est corpus meum, &c. Hoc facite in meam commemorationem, &c. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quare & contrito spiritu multos decantabant preces, divinum numen impensè orantes. Erimvero, tam ex Judæis, quam ex Gentibus eos, qui recentè illuminati erant, ea qua ad gratiam consequendam faciebant, quaque facienda, quaque ante domum gratia omittenda, docentes, cum ipsi essent umbra gratia, pedè informantur. Per has itaq. preces spiritus sancti adventum expectabant, ut qui divina præsentia propositum in sacrificium panem, & vinum aqua permixtum, ipsum illud corpus, & sanguinem Servatoris nostri Jesu Christi efficiat. Qui quidem religiosius ritus observatur ad hoc usq. tempus, & ad finem usq. sæculi manebit.*

Secundæ difficultati, omisâ questione, Quisnam ille scholasticus esset? quam disputat Me-gardus

hardus in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol. 12. Herrera lib. 3. de varenon. Missa, cap. 2. dicendum est, D. Gregorium non asserere canonem Missæ compositum fuisse ab scholastico, sed potiùs precem, & orationem illam composuisse, & recitasse in ea parte Missæ unde mutabatur locus orationis Dominicæ; quam decrevit Gregorius juxta antiquam consuetudinem, esse post consecrationem recitandam. Ut stetigitur sancti Gregorii incontussa narratio, dicendum est, ipsam reperisse Orationem Dominicam inordinatè à quibusdam in sacrificio Missæ recitari, scilicet vel ante sacram oblationem, vel diu post sacrificata divini altaris münera, & sapienti ejus prudentià factum esse, ut loco congruo ipsa Domini oratio diceretur: videlicet non ante consecrationem Eucharistiæ, sed super ipsam oblationem, mox ac solennis canon fuisset terminatus, juxta antiquam Apostolorum consuetudinem; quæ sensim fuerat immutata. Pro expositione autem illorum verborum canonis: Pro Pontifice N. & Pro Rege N. sciendum est, quod apud Gentiles sacerdotes publica vota pro salute Imperatorum suscipiebant, & persolvebant, ut constat ex Tacito libro 4. annal. ibi: Pontifices, eorumque exemplo ceteri Sacerdotes, Nervonem quoque & Drusum eidem Diis commendarunt. Plinius lib. 10. epist. 12. aliàs 8. à Trajano petens sacerdotium ait: Rogo dignitari, ad quam me provexit indulgentia tua, vel auguratum, vel septemvratum, quia vacant, adire digneris, ne jure sacerdotii precari Deos pro te publice possim, quos nunc precor pietate privata. Suetonius in Augusto, capite 37. & in Nerone cap. 46. Illustrat Theophilus Raynaud. tom. 17. tractatu de amore cognat. temp. fol. 508. Dies; quo vota concipiebantur pro salute Principis, fuit 3. Nonas Januarii, ut constat ex l. 233. §. post Kalendas, ff. de F. S. & Kalendis ipsis vota solvebantur, l. 7. C. de feriis, l. 2. C. Theodof. eodem tit. Di. Ambrosius sermon. 17. Chrysologus sermon. 155. quem morem damnant PP. Concil. Altifiod. cap. 1. & de ejus luxu latè queritur Divus August. epist. 64. ad Aureliam. Illustrat Biplius in notis ad Tacitum; lib. 16. folio 440. Biffonius lib. 1. de formulis, pag. 100. Gutherus de iure Pont. lib. 4. cap. 13. Cataneus in notis ad Plinium; lib. 10. epist. 16. Bulengerus lib. 1. de Imp. cap. 35. Altiflerca de Ducibus, lib. 2. cap. 17. Non dissimilis mos invaluit inter Orthodoxos Sacerdotes jam ab Apostolorum temporibus; nam Paulus 1. ad Timoth. cap. 2. pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, orare, votaque nuncupare jubet: D. Clemens lib. 8. constit. capite 12. ut in sacrificio corporis, & sanguinis Domini pro Regibus indefinenter oretur, præcipit. Idem admonet Di. Ambrosii lib. 4. de Sacram. cap. 4. & Arnobius adversus Gentis. Tertullianus Apolog. cap. 30. Precantes (inquit) sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitum fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quacunq. hominis, & Casaris vota sunt. Inde in liturgia Di. Basilii legitur: Memento Domine piissimi, & fidelissimi Imperatoris. Sic in Concilio Arclat. 3. can. 2. statuitur, ut pro excellentissimo, & gloriosissimo Rege, & libertis ejus, omnes Episcopi, Presbyteri, Abbates, & Monachi in unum collecti, psalmodiam, & Missarum solennia, & Litaniarum officia omni-

potenti Deo devotissimè solvant. Idem cavetur in Concilio Cabil. can. 66. Rhemeni can. 40. Mogunt. 2. can. 1. Emeriteni can. 3. Tolet. 16. can. 7. ibi: Convenit, ut tam per omnes civitates, vel loca, in quibus sedes Episcoporum esse noscuntur, ad regni ejus ditionem pertinentes, quam etiam per eorundem Episcoporum dioceses, excepto passionis Dominicæ die, quando altaria denudata persistunt, nec cuiquam in eodem die Missarum licet solennia celebrare, cunctis aliis diebus quibus idem Dominus nosset in hac vita superstes existerit, pro cunctis ejus filijs, vel filiabus sacrificiorum Domino libamina deducantur. Et alius congestis ab Antonio Augustino in epit. jur. lib. 1. tit. 19. Bellarmino de sacram. lib. 2. de Missa, cap. 21. Suarez 3. p. in 3. p. dist. 33. sect. 2. Baronio anno 200. num. 6. & 201. num. 29. & 255. num. 42. & 260. num. 21. Spondano in ejus epitome, anno 506. num. 1. Sahebedra in chron. Goth. in vita Egice: cujus usus aliam rationem assignat Petrus Damianus lib. 7. epist. 3. ad Henricum filium. Has ergo preces pro Principibus, tum Ecclesiasticis, tum secularibus faciendas Ecclesia tradit, dum in canone Missæ ea verba posuit: Unà cum famulo tuo Papa nostro, Antistite nostro, Rege nostro. Extatque de hac re Concilii Valens canon 4. circa tempora Leonis, ubi jubetur, ut nomen cujuscunque Papæ urbis Romæ in omnibus Missis recitetur: & Bonifacius Martyr in cap. si Papa, dist. 4. ait: Pro cujus perpetuo statu universi fideles instantius orat, quantum suam salutem post Deum ex illius incoluntate propensius impendere animadvertit. Quo multò anterior Euvjanus 1. epist. 1. dilectissimis ubique Ecclesiæ Catholice comministris scribit in hæc verba: Fraternalis vestra charitatem intimis obsecramus precibus, ut nostra parvitas in sacris vestris orationibus memoros esse dignemini. Cæterum cum Papa Missam celebrat, non dicit, Unà cum famulo tuo Papa nostro, sed unà mecum indigno famulo tuo; ut testis est Innocentius noster in cap. 3. hoc titul. in 3. collect. cujus sententia confirmatur ex Clemente lib. 8. constit. cap. 12. ubi Pontificis sacra peragentis hæc verba leguntur: Adhuc obsecramus te pro me, qui nihil sum, qui tibi oblationem facio. Et Sacerdotes, vel Diaconos omittentes preces istas, omnè honore privati jubentur in can. 13. & 14. Synodi Constantinop.

COMMENTARIUM.

Circa formam consecrationis calicis, an videlicet omnia verba in canone Missæ expressa sint substantialia, vel essentialia ad consecrationem, variæ sunt Doctorem, immò & scholasticorum sententiæ. Necessaria esse hæc omnia, aut æquivalentia alia: Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum; docuerunt cum Di. Thoma art. 2. quest. 71. & in epist. 1. ad Corinth. & 3. p. q. 78. artic. 3. Henricus in 4. dist. 8. quest. 2. Paludanus ibi, quest. 3. Capreolus quest. 1. artic. 1. conclus. 6. Richardus art. 3. quest. 2. S. Antoninus 3. p. Summa, tit. 13. cap. 5. §. 4. Sylvester in summa, verbo Eucharist. 1. quest. 6. num. 7. Armilla eod. verbo, num. 14. Tabiena num. 31. & alii, quos refert, & sequitur fundamenta hujus doctrinæ expendens Thomas Hurtado tom. 2. resol. moral. tract. ult. resol. 8. per tot. Contraria tamen sententiæ

tentia, videlicet non desiderari ad consecrationem calicis essentialiter omnia ea verba, docuerunt Cornejo *quæst. 78. artic. 3. dist. unic. dub. 1.* Franc. Longus *annot. 1. ad Eugenii decret. in Concilio Florent. §. tertium est.* Leander p. 2. *de sacram. tract. 7. disput. 9. quæst. 21.* alii plures, quos refert, & sequitur nervosè hanc sententiam fundans, & contrariæ fundamentis satisfaciens, P. Henao *de Sacram. Euchar. disput. 12. sect. 2. per tot.* quarum opinionum fundamenta trutinare longum foret. Illud tantum notandum est, Innocentium III. in præsentī nec affirmare, nec negare ea verba necessaria esse, sed tantum ritè adjecta fuisse in canone Missæ, licèt in sacra pagina non legantur; congruenterque apposita

fuisse, quia clausula illa: *Novi, & æterni Testamenti*, significat hunc esse sanguinem, quo Novum Testamentum firmatum est, juxta Apostoli doctrinam ad Hebræos *cap. 4.* & per illa verba, *Mysterium fidei*, indicari, hoc Sacramentum esse unum ex mysteriis fidei maxime reconditis, in quo aliud videtur, & aliud sub speciebus latet: vel quia in consecratione Sanguinis expressè significatur Christi passio, quæ est maximum mysterium, & in omnibus sacrificiis veteribus figuratum, & in hoc sacramento quoad rem oblatam verè, & realiter contentum, quoad ipsam verò effusionem sanguinis mirabiliter repræsentatum.

§.

Quæstivisti etiam, utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur? Super hoc autem opiniones apud scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur, quod cum de latere Christi duo præcipua fluxerint sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo vinum, & aqua, quæ commiscetur in calice, divinâ virtute mutantur, ut in hoc sacramento plene sit veritas & figura. Alii verò tenent, quod aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino: licèt Physici contrarium asseverent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa: ita quod vini saporem assumit. Quod inde convincitur, quia si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur; sed accidentibus prioris vini commixtum, corpori, quod subeis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfusum: ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur afficere; quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. Contingit igitur accidentia mutare subjectum, sicut & subjectum contingit accidentia permutare: cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Sed neque inconveniens creditur, aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cum legatur de ipsius latere proeessisse: illud autem est nefarium opinari, quod quidam dicere præsumperunt, aquam videlicet in phlegma converti. Nam & de latere Christi non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur exiisse, non attendentes, quod de latere Christi duo fluxerunt sacramenta: & quod non baptizantur in phlegmate, sed in aqua, juxta quod Dominus protestatur: *Nisi quis renatus fuerit in aqua, & Spiritu sancto, non introibit in regnum Dei.* Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut expressius eluceat proprietates sacramenti. Nam cum aquæ multæ sint populi multi, juxta quod alibi legitur: *Beati, qui seminatis super omnes aquas: ideo vino aqua unitur, ut Christo populus adunetur: per hoc enim, quod suscepit ipse de nostro, & accepimus ipsi de suo, tam insolubili nexu conjugimur, ut qui est unum cum Patre per ineffabilem unitatem, fiat unum nobiscum per admirabilem unionem: ac per hoc ipso communiter mediante, cum Patre unum efficiuntur. Pater, inquit, sancte serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Non pro his rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut & ipsi in nobis unum sint, & mundus credat, quia tu me misisti.*

COMMENTARIUM.

In hoc §. respondet Innoc. III. prædicto Joanni circa illam quæstionem, an aqua, quæ cum vino in calicem mixta offertur, convertatur mediatè vel immediatè in sanguinem Domini? Et propositis tribus sententiis, ut probabiliorē secundam amplectitur, quæ asserit, aquam vino mixtam in sanguinem Christi converti. Quam universi Theologi posteriores sequuti sunt. Ex quo

videtur motus Baronius anno 1192. numer. 24. ut hæresim appellaret sententiam negantem aquam in vinum converti. Sed verè excessit à censura, quia Innocentius non approbavit prædictam sententiam ut fide certam, sed ut probabiliorē: & cum dependeat ex Philosophico principio conversionis aquæ in vinum, quod in Philosophia non est certum, siquidem aliqui affirmant, aquam vino infusam, fradit tempus sufficiens ad transmutationem, in vinum converti

verti, ut Petrus Garcia Primarius Complutensis *fen. 1. disput. 7. cap. 2.* pro se adducens Galenum *lib. 1. de elementis cap. ult.* & Philosophum de *generatione textu 34. 39. & 88.* & hanc fuisse Philosophi sententiam testantur D. Thomas *3. p. quest. 77. artic. 8.* D. Bonaventura *in 4. dist. 11. dub. 3.* Albertus Magnus *in 4. dist. 11. artic. 9.* Alii verò negant, aquam etiam modicissimam in vinum converti, ut Philoponus *lib. 1. de generat. textu 84.* & ex modernis Theologis Koninch. & Lugo relati à Magistro Prado *lib. 1. de generat. quest. 31. §. 4.* Consequenter prædicta secunda sententia non est certa secundum fidem, nec certitudine conclusionis theologicæ deductæ ex una præmissa de fide, & alia lumine naturali nota; sed præcisè est opinio probabilior, ut eam declaravit Innocentius. Adeo tamen eam fusè disputant Theologi, ut juxta institutum nostrum eam in præsentem prosequi, & discutere effectum

agere, & granum mittere in acervum. Videntur sunt Alanus *lib. 1. de Euchar. cap. 13.* Salmeron. *tom. 6. in Evang. tract. 4. §. ad hac,* Toletus *in Summa, lib. 2. cap. 25.* Ægidius Romanus *3. p. 9. 74. artic. 8. dub. 1.* Bernal. *disput. 28. sect. 4.* Cardinal. Lugo *disputat. 4. de Eucharist. sect. 3.* Raynaredus *in Onomast. Eucharist. verbo Mixtum,* Dicastillus *tract. de Eucharist. disputat. 2. dub. 9. p. 2.* Paulus Aresius *in peculiar. opusc. de hac questione, sect. 7.* Pasqualigus *disput. 91. sect. 7.* Joannes Bapt. Scortia *de sacrif. Missa lib. 1. cap. 4.* Diana *p. 3. tract. 4. resol. 49. & 5. part. tract. 5. resol. 56.* Basilus Pontius *in special. opusc. de hac questione edito.* Manrique *annal. Cisterciens. anno 1202. cap. 2.* Basseus *in Summa, verbo Eucharistia, num. 14.* Raynaud. *in Onomast. Eucharist. verbo Mixtum.* P. Henao *de Eucharist. disput. 4. sect. 4.* Martinez à Prado *de Eucharist. dub. 10.*

§.

Tertio loco fraternitas tua requisivit, quare fuerit mutatum, quod in secreta B. Leonis, secundum antiquiores codices continetur, sic videlicet: Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc profit oblatio. Cum in modernis sacramentariis habeatur: Annue nobis quæsumus, ut intercessione Beati (a) Leonis hæc nobis profit oblatio. Super quo respondemus, cum sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod injuriam facit Martyri, qui orat (b) pro Martyre, idem est ratione consimili de Sanctis aliis sentiendum: quia orationibus nostris non indigent, pro eo, quod cum sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt: sed nos potius orationibus eorum indigemus, quos (cum miseris simus) undique mala nostra perturbant. Unde quod in plerisque orationibus continetur: Prosit, vel proficiat huic Sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam, & honorem; ita debet intelligi, ut ad hoc profit, quod magis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris: licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam usque ad judicium (c) augmentari; & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare. Verum utrum in hoc articulo locum habeat illa (d) distinctio, quæ docetur, quod defunctorum alii sunt valde boni, alii sunt valde mali; alii mediocriter boni, alii mediocriter mali: unde suffragia quæ sunt à fidelibus in Ecclesia pro valde bonis, actiones sunt (e) gratiarum; pro valde malis, consultationes vivorum; expiationes verò pro mediocriter bonis; & propitiationes pro mediocriter malis: tua discretio investiget.

NOTÆ.

1. (a) **B. Leonis.**] Secundi videlicet *in lib. Sacram. D. Gregorii, pag. 122.* ubi legitur: *Ut anima famuli tui Leonis hæc profit oblatio.* In codice autem Rodradi habetur: *Ut intercedente B. Leone nobis profit oblatio.* Et in Missali Romano: *Ut intercessione B. Leonis:* ut nota vit Menardus ad D. Gregorium ubi supra, *fol. 167.* & inde deducit P. Vazquez *3. part. in 3. part. disputat. 127. cap. num. 22.* Ecclesiam nonnunquam ex justis causis mutasse aliquid ex pertinentibus ad accidentalialia Sacramentorum, & hodie in oratione secreta oratur à nobis Deus, ut beata retributio sanctum Leonem committetur.
2. (b) **Qui orat pro Martyre.**] Hæc verba non reperiuntur in sacra Scriptura; extant tamen apud D. Augustinum *sermon. 27. de verb. Apostol.* & *sermon. 107. cap. 2. & tract. 87. in Joannem.* Quare Bellarminus *tom. 1. contr. lib. 2. de Concilio, cap. 12.* ait, Innocentium in præsentem appellasse sacram Scripturam sententiam D. Augustini, ad diffed. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. III. Pars II,*

rentiam prophanæ Scripturæ, ut etiam fecerunt D. Benedictus *cap. 13. sua regula: Sicut dicit Scriptura, voluptas peccatum, & necessitas parit coronam.* Nec tamen usquam comparet ea sententia in sacris Bibliis: & S. Valerius *in dictis de generibus monach. apud S. Benedictum Amianensem, cap. 3.* ait: *Scriptura testatur, quod omne peccatum, quod remissus, indisciplinatusque admisit frater, ad negligentiam prorsus revertatur servorem.* Et frustra hæc verba quæres in sacra Scriptura: & Magist. Sentent. *lib. 1. dist. 26.* littera B. nomen ipsum sacra Scripturæ adhibet, ad designandum PP. scripta, Notarunt Molanus *in quodlibet trium qq. Menardus in not. ad concord. regul. B. Benedic. Amian.* Theophilus *tom. 13. tract. Anagnostas ad sacram mensam, cap. 8.* Aliter docent P. Henao *d. Eucharist. disp. 17. sect. 3.* Thomas Hurtado *de vero martyr. tract. 7. resol. 40. §. 7.* videlicet, Innocentium docere intendere, sententiam hanc inveniri implicitè in sacra Scriptura, sicut apud Joannem *cap. 7. vers. 38.* Christus Dominus tribuit scripturæ verba illa: *Qui credit in me, summa de ventre ejus*
E f f f fluens

fluent aqua viva. Cùm tamen ea non legantur in veteri Testamento, sed sensus quem continent inde eliciatur, ut jam notarunt ibi Ribera, Tolet. & Franc. Lucas. Vera autem ratio hujus quæsiæ, injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre: præter aliam minus idoneam, excogitavit Carillo in *explicat. bullæ defuncti. part. 2. cap. 13. num. 10.* deducenda est ex revocata in dubium certitudine gloriæ, quam Martyr consummatus patitur, si pro ejus sublevatione fundatur oratio, sicut funditur pro aliis defunctis.

3. (c) *Augmentari.* Quod roboratur auctoritate D. Thomæ 1. p. quæst. 62. artic. 9. ad 2. & 2. 2. quæst. 13. artic. 4. ad 2. & in 4. dist. 5. quæst. 2. artic. 1. q. 6. cujus sententiam communiter sequuntur Thomistæ. Sed in addit. sanctus Doctor in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. ait, quod gaudium accidentale Beatorum crescit eis, de omnibus benefactis pro eis, videlicet de gratiarum actione: quam sententiam illustrat Thomas Hurtado de *vero martyrio* resol. 43. §. 7.

4. (d) *Distinctio.* Quæ est D. Augustini in cap. tempus 13. q. 2. cui convenit Hildebertus Episcopus in *carmine de offic. Missæ.*

*Perfectos, valdeque malos, nil vota suorum,
Nil impensa precum, nil holocausta juvant,
Nam nec justus eget, nec pessimus ista meretur:*

5. (e) *Gratiarum sunt actiones.* Eteo modo nunquam dicitur offerri sacrificium pro Sanctis, videlicet in gratiarum actionem. D. Clemens lib. 6. constit. cap. ultimo, ibi: *Converite in cæmeteriis ad legendos sacros libros, & canendos psalmos pro moriis martyribus, & canendos psalmos, qui sunt à seculo defunctis, ac pro fratribus vestris, qui in Domino mori sunt.* Sanctus Cyprianus epist. 34. ibi: *peti, & spirituales Dei milites, dum diabolum Christi confessione prosterunt, palmas à Domino, & illustri professione coronas meruerunt: sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quotiens Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus.* D. Chrysofostomus homil. 21. in acta: *Quid tibi videtur, quod pro martyribus offertur, quod vocantur in illa hora: licet Martyres sint, etiam pro Martyribus offertur. Magnus honor nominari Domino presente.* Sanctus Epiphanius hæres. 75. Offerri enim potest sacrificium pro Sanctis, non quatenus propitiatorium est, & impetratorium, quasi pro his, qui jam beati sunt, aliquid, quod eis desit ad salutem, postuletur. Sed offerri potest sacrificium ipsum, ut est Laurenticum, & Eucharisticum, ad Deum cum eis adorandum, & pro his glorificandum, cujus gratiæ ad æternam gloriam per tantas victorias, & triumphos pervenerunt: quæ Dei dona sunt, & gratiæ, ac bo-

nitatis ejus opera gloriosa. Et licet sancti non sint capaces fructus satisfactorii, sunt capaces gaudii accidentalis. Docuerunt, & latius prosecuntur Hurtado d. §. 7. per tot. Bellarmin. de *Purgat. lib. 2. cap. 18.* Suarez lib. 1. de orat. cap. 14. n. 4. Andreas Saulay in *Panopl. sacerdot. part. 2. lib. 1. art. 1. per tot.* F. Alfons. Mendoza quæst. 6. scholast. p. Henao tom. 2. de *sacris. Missæ, disp. 17.* ubi exponit difficilem locum Missalis Muzar, ubi sacerdos offerens ita orat: *Item pro spiritibus pauperum Hilarii, Athanasii, Martini, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Leandri, Isidori, Theophilus Raynaud. tom. 16. in Heterocl. spirit. sect. 1. fol. 4. & tom. 5. p. 2. cap. 2. fol. 254.*

(f) *Mediocriter malis.* Hæc verba merito difficillima visa sunt Bellarmino lib. 2. de *purgat. cap. 18.* Suarior tom. 3. in 3. p. *disput. 78. sect. 3. & tom. 4. disput. 48. sect. 4. num. 9.* Theophilo Raynaud. tom. 15. in *Heterocl. spirit. sect. 3. parit. 1. quæst. 1. fol. 432.* Nam cum certum sit, suffragia nostra inutilia esse valde bonis animabus, videlicet Beatis & Martyribus, uproxime probavi; & etiam offerri non posse pro valde malis, videlicet in inferno existentibus, ut ait probant Salas 2. tract. 13. *disput. 15. sect. 3.* Sanders lib. 7. *visibilis monarch. hæres. 46.* Jodocus Coccius tom. 2. lib. 10. artic. 7. Castro advers. hæres. verbo *Infernus*, Theophilus dicto quæst. 1. pro mediocriter verò bonis, hoc est pro animabus detentis in purgatorio Missæ sacrificium ritè, & utiliter offerri posse, ut probavi in cap. *final. de testament.* inquirendum est, quinam sunt mediocriter mali, quibus prodesse possunt suffragia nostra, ut Innocentius ait? Bellarminus ubi supra, suspicatur Innocentium III. memoriâ lapsum, quadrimembrem fecisse divisionem animarum, quæ apud D. Augustinum, cujus doctrinam in præsentia repræsentavit Pontifex, non est nisi trimembris, videlicet carum animarum, quæ beatæ sunt, & valde bonæ dicuntur; & damnatarum, quæ valde malæ in inferno cruciantur, & earum, quæ mediocriter bonæ sunt, & in purgatorio detinentur. Aliam adducit solutionem idem Bellarminus, quam & assignarunt Suarez, ac Theophilus ubi supra, videlicet mediocriter malos appellari eos, qui supra reatum pœnæ, quo solo inquinantur, & cujus ratione detinentur in purgatorio, appellanturque mediocriter boni, retinent etiam culpam venialem; nam etiam superior sententia ferat, culpas minutas hinc exportatas in ipso puncto mortis obliterari quoad maculam; tamen non est id prorsus certum. Itaque potuit Innocentius opinari, ac proinde duo illa ultima membra divisionis, quam proposuit, spectabant ad animas purgatorii, vel ut alii volunt, ad defunctos cum solo originali peccato.

CAPUT VII.

Idem Rectoribus Rom. (2) *Fraternitatis.*

DE homine. Et infra: Quæsi vultis à nobis, quid de incauto presbytero videatur, qui se sciens in mortali crimine constitutum, Missarum solennia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, pro sui facinoris conscientia

conscientia dubitat celebrare, arctatusque graviter à duobus, dum divinum exequi mysterium metuit, ne populum illum expectantem offendant, corpus Christi perficere perhorrescit, ne sumens ipsum indignè, iudicium sibi manducet, & bibat: peractis cæteris circumstantiis, Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur corpus Christi, panem, & vinum tantummodo purum sumit: ita credens per id, quod præterdit, populo satisfacere, ut per id, quod intendit, Deum non debeat provocare. Cum ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ sunt veris periculis graviora, licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, ab huiusmodi Sacramento reverenter debeat abstinere, ac ideo peccet graviter si se ingerit irreverenter ad illud; tamen gravius procul dubio videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumperit simulare, cum ille culpam vitando, dum facit, in solius misericordis Domini manum incidat: iste verò culpam faciendo, dum vitat, non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decepit, se astringat.

NOTÆ

(a) *R. Om. Fratrem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* Sed cum hæc epistola non repriatur inter editas à Sirleto, & Bosqueto, cognosci nequit, de qua fraternitate Romæ erecta agat Innocentius in præfenti. Illud in præfenti docetur, gravius peccare sacerdotem, qui simulat consecrare, & exponit hostiam non consecratam adorandam populo, quam illum, qui in peccato mortali offert sacrificium & consecrat. Quod & ad eum casum, in quo sacerdos peccatori intendit dare hostiam non consecratam pro consecrata, ad vitandum sacrilegium, extendit Joan. Sanchez in *selectis, cap. 35.* ubi textum hunc exponit. Et hanc Innocentii doctrinam post longum examen confirmant Petr. Joan. Oliv. *quodlibet. 5. quæst. 10.* Theophilus *tom. 16. in Hierocl. puncti. 4. fol. 70.* & merito, quia pejus est conari falsam reddere veritatem fidei, quod facit simulatè sacrificans; quam indignè, sed verè celebrare. Atque pejus est simulato sacrificio horribiliter Deo illudere, quam malè sacrificare. Continet præterea ea simulatio externam malè sacrificantis idololatricam erga purum panem, & excitationem to-

tius Ecclesiæ ad similem turpitudinem. Similiter etiam nec poterit sacerdos ad celandum peccatum, & servandam famam occulti peccatoris, porrigere illi falsam hostiam? immò tenetur illum ad veram communionem eam publicè petentem admittere, *cap. placuit 6. quæst. 2. cap. si sacerdos 2. de offic. ordin.* Potest tamen ex probabili sententia, quam contra Joannem Sanchez defendit Theophilus *ubi proxime*, ad servandam famam peccatoris famam, conventionem prius cum eo habita, sacerdos veram hostiam ori peccatoris admove- re simulando, nec recipi illi Eucharistiam tradendo. Nec his omnibus obstat, posse confessarium pro servanda fama peccatoris simulare absolutionem pro sedando scandalo, quod oriri posset, si peccator ad pedes sacerdotis hærens discederet absque absolutione; nam cum eo casu nulla detur illusio sacramenti, nec etiam periculum idololatriæ ex parte ministri, neque ex parte adstantium, potest tunc confessarius agnoscens indispositionem penitentis simulare absolutionem, ut ejus famæ confulant. Docent, & alios casus adducunt Vazquez *3. p. in 3. disput. 209. num. 41.* Suarez *tom. 3. in 3. disputat. 67. sect. 4.* Joannes Sanchez *ubi supra.*

CAPUT VIII.

Idem (a) *Farrarien. Episcopo.*

IN quadam (b) nostra decretali epistola asseris te legisse, illud esse nefarium opinari, quod quidam dicere præsumperunt, in Sacramento videlicet Eucharistiæ aquam in (c) phlegma converti: nam & de latere Christi, non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur exiisse. Licet autem hæc magnos, & authenticos viros sensisse recenseas, quorum opinionem dictis, & scriptis hætenus es sequutus; ex quo tamen in contrarium nos sentimus, nostræ compelleris sententiæ consentire. Sed verbum Joannis Apostoli te multum movere fateris, dicentis: Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt: quamvis hoc ultimum in plerisque codicibus minimè habeatur. Quod dicis sic exponi ab omnibus, illos videlicet esse unum, idest de una, & eadem re; scilicet de humanitate Christi, testari. Porro si vera fuit aqua, quæ fluxit de latere Christi, & non humani corporis humor, qualiter per illam probetur, quod Christus sit homo verus, non vides.

D.D. Gonzal. in *Decretal. Tom. III. Pars II.*

F f f 2

Glossa

Glossa namque super illum locum sic se habet: Spiritus, id est, humana anima, quam emisit in passione. Aqua, & sanguis, quæ fluxerunt de latere Christi, quod fieri non posset, si non haberet veram carnis naturam. Sic ergo tam ex textu, quam ex glossa proponis, per illam aquam probari, quod Christus sit verus homo; & ideo si dicatur, quod illa non extitit vera aqua, sed aquaticus humani corporis humor; tam expositoris, quam Apostoli verba intelligibilia tibi esse videntur: sed dato, quod fuerit vera aqua, sicut nos credimus, & fatemur, nec ista, nec illa sufficienter intelligis. Unde nobis humiliter supplicasti, quatenus ad generalem utilitatem legentium, & nebulam de tuo corde tollendam, sufficienter, & evidenter exponere dignaremur. Nos igitur ad tuæ supplicationis instantiam respondemus, quod quidam dixerunt, sed erraverunt, Christum non fuisse verum Deum, sed adoptivum, ut miseri Ariani. Alii Christum non fuisse verum hominem, sed phantasticum, ut impii Manichæi. Sed adversus has hæreses Joannes Apostolus in epistola sua loquitur dicens: Tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres unum sunt. Per hoc intendens ostendere, quod Christus sit verus homo: nam ad esse hominis duo principaliter exiguntur, videlicet corpus, & anima, ex quorum conjunctione verus homo subsistit. Per hoc autem, quod in articulo mortis Christus inclinato capite tradidit spiritum, de quo voce magna clamaverat: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; manifestè probatur, quod ipse spiritum habebat, non solum vitalem statum, sed animam quoque rationalem, de qua prædixerat: Tristis est anima mea usque ad mortem: & potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Per hoc autem quod unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua, probatur apertè, quod Christus verum corpus habebat: nam de phantastico corpore, nec sanguis, nec aqua potuisset exire: unde ille, qui vidit, testimonium quidem perhibuit, & testimonium ejus est verum: quia tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis. Quod videlicet Christus sit verus homo ex anima rationali & humana carne subsistens, probatur ex eo, quod spiritum vitalem emisit ex vero corpore. Quod inde probatur, quoniam ex eo sanguis exivit, & aqua. Rationalis quippe anima non posset vivificare nisi corpus humanum, ex quibus verus homo consistit. Cæterum, sicut verus fuit spiritus, & verus sanguis, ita proculdubio vera aqua; cum Christus sit veritas, & à veritate omnis fallacia sit penitus aliena. Nam si non fuisset aqua, sed phlegma, quod de latere Salvatoris exivit, ille qui vidit, & testimonium perhibuit veritati, profectò non aquam, sed phlegma dixisset: nec in hoc verum regenerationis sacramentum fuisset ostensum, cum per sacramentum Baptismi non regeneremur in phlegmate, sed in aqua: neque per hoc posset vero probari argumento, quod in sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua vino, si de latere Christi non aqua, sed phlegma cum sanguine profluxisset: sed nec vera fuisset figura, quæ super hac re præcessit in veteri Testamento, quando videlicet Moyses virgâ percussit silicem, & ex ea quidem non phlegma, sed aqua manavit. Restat igitur, ut qualiscunque fuerit illa aqua, sive naturalis, sive miraculosa, sive de novo divinâ virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta: proculdubio vera fuit, cum naturaliter possit & compositum in componentia, & elementarium in elementa resolvi: quemadmodum verus extitit sudor ipsius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Cum autem ad compositionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet terra, aqua, aër, & ignis; & ad vegetationem ejusdem corporis quatuor humores consimiles illis conveniant, videlicet sanguis, & cholera, phlegma, & melancholia: ut veritatem humani corporis expressius demonstraret, unum ex illis, & unum ex istis Joannes expressit; illaque potius ex illis, & istis, quæ magis ministerio congruebant; ex elementis aquam; & ex humoribus sanguinem: in quibus duobus duo maxime sacramenta, Redemptionis videlicet, & Regenerationis elucere.

N O T Æ.

1. (a) **Ferrariensis.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* Hugoni videlicet, vel Roialdo, qui ambo floruerunt in Ecclesia Ferrariensi temporibus Innocentii III. ut refert Vghel. *tom. 2. Italia sacra, fol. 376.* De Ecclesia Ferrariensi aliqua adduxi *in cap. cum M. de constur.*
- (b) **Quadam Decretali.**] Suprà relata *in cap. cum Marthe.*
2. (c) **In phlegma.**] Prima enim opinio in illa vexata quaestione, de aqua vino in calice mixta convertenda immediatè, vel mediatè in sanguinem Christi, antiquorum Theologorum fuit, vinum in fufum calici converti in sanguinem, & aquam in humorem phlegmaticum, quem de latere Christi exiisse dicebant. Quæ opinio meritò damnatur ab Innocentio in præfenti, ut erronea, quia tria continet falsa: Primum, aquam non converti in vinum virtute ipsius; quod aperte aduersatur

recta Philosophia. Secundum, aquam nondum in vinum convertam, in humorem illum transire, nam quicquid convertitur in aliam substantiam, cum sit consecratio, virtute verborum convertitur. Verba autem solum vim habent convertendi juxta veritatem significationis, ut vera reddantur; nullum autem verbum consecrationis denotat aliquid, ad cujus veritatem necessaria sit conversio aquæ in humorem illum; siquidem illis solus sanguis Christi significatur. Tertius error est, ex latere Christi non fluxisse veram aquam, sed phlegmaticum humorem, contra testimonium D. Joan. *cap. 5.* quod de fide esse, defendunt cum D. Thoma *3. p. 9. 66. artic. 4. & q. 74. art. 7. ad 3.* Theologi ibi, Suarez *tom. 2. in 3. disputar. 51. sect. 1. & tom. 3. disp. 45. sect. 4.* Unde licet hæc opinio à quibusdam Theologis teneatur, tamen ut improbableem omisit Innocentius *in d. cap. cum Marthe, §. quævisisti*, dum aliorum opiniones probabiles refert.

C A P U T IX.

Idem (a) *In Concilio generali.*

Dolentes referimus, quod non solum quidam minores clerici, verum etiam aliqui Ecclesiarum Prælati circa (b) comessationes superfluas, & confabulationes illicitas, ut de aliis taceamus, medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquunt, vix ad diurnum concertum avium excitantur, transcurrento undique continuata sinopâ Matutinum. Sunt & alii, qui Missarum solennia (c) vix celebrant in anno, & quod deterius est, interesse contemnunt: & si quando his evidentè interfunt, chori (d) silentium fugientes, intendunt externis colloquutionibus laicorum: dumque auditum ad indebitos sermones fundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur, & similia sub (e) pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum (f) officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, (g) studiosè celebrent pariter, & devotè.

N O T Æ.

1. (a) **Generali.**] Lateranensi videlicet, celebrato sub Innoc. III. ubi *cap. 17.* reperitur textus: & in quarta collectione *sub hoc tit. cap. 2.* de quo Concilio nonnulla notavi *in cap. 1. de summa Trinit.*
- (b) **Comessationes.**] Comessatio est convivium, ubi more temulentorum, & ebriorum jocatur, quæ omni jure exosa est, ut probavi *in cap. à crapula, num. final. de vita & honest. Cleric.*
2. (c) **Vix in anno.**] Quam sacerdotum negligentiam semper condemnatam legimus in Ecclesia, & à Principibus sæcularibus. Concil. Tolet. *1. can. 5.* relato *lib. 7. capitul. Caroli, cap. 161. ibi: Si quis Presbyter, vel diaconus, aut quilibet clericus Ecclesia deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi sacrificium matutinis, vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenit, deponatur a clero.* Et *l. sancimus 42. §. 10. C. de Episc. & cler. Concil. Rhomag.* celebrato anno 1581. de presbyteris recens ordinatis ita cavetur: *Moneantur insuper, ut intra semestre sine alterius cujuscumque licentia Missam primam celebrent, & deinceps repetant, saltem omnibus diebus Dominicis, & festivis sollemnibus: si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisficiant.* Rhemeni *can. 8.* ita de E. D. D. Gonzal. *in Decretal. Tom. III. Pars II.*

charistia: *Sacerdotes non diebus tantum sollemnibus, sed etiam Dominicis, sæpiusque, si fieri potest, sacrificent.* Concil. Aquei: *Curatè in hebdomada sacrum faciant, aut eo etiam sæpius, vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem divini sacrificii usum postulabit.* Ceteris etiam clericis præcipimus, ut singulis mensibus. Refert Joannes Fideiac. *lib. 1. select. cap. 18.* Tales enim sacerdotes nulla ratione ita appellari possunt, quandoquidem verbi illius, *Sacerdotis*, notio alia non est, juxta D. Isidorum *lib. 7. orig. cap. 12.* quam ex actione mystagogi; ita ut sacerdos à sacrificando vocetur. *Consecras enim, & sanctificas*, ait S. Doctor, quidni cõ spectat illud, quod docet B. Hieronym. *lib. 3. adversus Pelag.* dum Missam vocat quotidianum corporis Christi sacrificium; & certè non aliâ ratione B. Ambrosius *epist. 29. ad Theodosium Imper. scribit, Presbyteri gradu sanctos merito congeri, quod per unnumeros annos à munere sacro retrahantur, & curia deputentur.* Unde similes sacerdotes ignavos & torcos peccare lethaliter, ex D. Thoma *in 4. lib. 3. dist. 13. q. 1. art. 2.* docuerunt Valent. *3 p. de Euchar. q. 10.* Theoph. *tom. 16. in Heteroc. sect. 1. in princip. Vazquez 3. p. dist. 232. cap. 1.* Sautay *in Panopl. sacerdot. p. 2. lib. 1. cap. 12. & 3.* Thom. Hurt. *tom. 1. resol. mor. cap. 7. per tot.*

(1) **Silentium.**] Quod in sacris ministeriis summe convenit, ne dum peraguntur divina officia, clamor

clamor aliquis, aut strepitus inturbet. D. Ambrosius de virginibus, ibi: *An quidquam est indignius, quam oracula divina circumstrepere, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur? Circumsonare sacramenta confusis vocibus, cum Gentiles idolis suis reverentiam recedendo deserant? Cæsarius quoque Arelat. magnas in eosdem jactat minas, dum homil. 34. ita scribit: Qui in Ecclesia ineptis, & incongruis fabulis occupatur, quasi venenum, & gladium reliquis hominibus ingerere, vel præbere cognoscitur, dum verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit: qui enim talis est, & pro sua, & pro aliorum destructione in die iudicii redditurus est rationem. Facit Seneca de vita beata, ad Gallonem, ibi: Et ipsam, & Deos professores ejus, & Antistites colite. & quando mentio sacrarum litterarum inter venerit, favere linguis. Hoc verbum, non ut plerique existimant, à favore trahitur, sed imperatur silentium, ut ritè peragi possit sacrum, nullà malà voce obstrepente. Quintilianus declamat. 365. In templo verò, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo etiam tacitamentem nostram custodimus, pullare velut in solitudine, velut in secreto quodam non est ferendum. Et in l. denunciamus, C. de his qui ad Eccles. confugiunt, vota convenit celebrari. Plura Brissonius de formulis lib. 1. pag. 8. Mornacius in d. l. denunciamus 4. Gazæus ad Cassianum lib. 2. insti. cap. 10. Ferrarius de ritu concionandi lib. 1. cap. 13. Novarinus lib. 2. schediasm. cap. 24. Cresolius lib. 3. mystag. cap. 22. De reverentia, & modestia in Choro Ecclesiastico servanda, plura congestit Hurtado de vero marty. digress. 4. sect. 30.*

4. (c) *Pœna suspensionis.* Quæ in præsentia non imponitur, sed comminatur, ut declaravit Honorius III. rescribens Decano, & Capitulo Compofel. in cap. 3. de vita & honestat. Cleric. in 5. compil. his verbis: [Consuluit tandem de clericis, qui chori silentium fugientes, intendunt externis colloquutionibus laicorum; dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina: si quid de talibus in eodem Concilio noscitur institutum, canon fuit lata sententiæ, vel ferendæ. Ad quod breviter respondemus, quod pœnam illa constitutio non infligit, sed potius comminatur, & exprimit infligendam, quæ meritò ad illos extenditur, qui quamvis in choro inter celebrantes existant, sermonibus tamen illicitis, & linguas, & aures involvunt, cum non solum in seipsis offendant, sed etiam aliis impedimento tales existant.]

(f) *Et divinum officium.* De quo egi in cap. 1. hoc tit.

5. (g) *Stydiosè.* Seu sapienter, ut exponunt PP. sanctus Basilius in regulis brevioribus, cap. 279. ibi: *Quid est, psallere intelligenter? Prorsus quod est in cibus sensus cujusque cibi: hoc in verbis sacrosanctarum litterarum est intelligentia: guttur enim est casu gustu dijudicat; mens autem intelligendo verba discernit. Si quis igitur ad vim verbi cujusque animo etiam ita simul afficiatur, quemadmodum gustatu ad qualitatem cujusque cibi, prorsus hic mandato illi satisfacit, quod est: Psallite intelligenter. Itaque psallere sapienter est cum attentione canere, non solum linguâ, verum etiam corde, & animo, ut ex D. Bernardo sermon. 7. in Canticum, probat Haæphtenus lib. 7. disquisit. tract. 4. disquisit. 7.*

(h) *Et devotè.* Consentunt PP. Concilii Coloniensis anno 1536. p. 2. cap. Non suffecerit autem precibus istas horarias utrinque premiumurasse, sed ut conciliari constitutione cautum est, præbiter eximio affectu, elevataque mente in solum Deum noturnum hoc, diurnumque sua servitio pensum exsolvat. Sanctus Benedictus in sua regula, ibi: *Stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. S. Basilius in admonit. ibi: Ne dissimans sit à sono vocis sua sensus tui, sed in lingua verba vigil intendat. Et D. Ambrosius lib. 6. de sacrament. cap. 8. ibi: Non de labiis tantummodo tua procedat oratio, animo totus intende ingredi, non te perfunctorium videat ille, cui placere desideras: videat, quia ex corde oras, ut te ex corde orantem dignetur audire. S. Augustinus cap. 9. sua regule, ibi: *Palms, & hymni, cum oras Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce. Unde attentionem in canonicis horis petolendis desiderari Sancti PP. inculcant, præcipue D. Cyprianus in lib. de orat. Dominica, ibi: Quando stamus ad orationem, vigilare, & incumbere ad precem toto corde debemus, cogitatio carnalis omnis, & secularis abscedat, nec quidquam tunc aliud animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Et rursum: Quæ segnitia est alienari, & rapti in cogitationibus, & prophanis, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cum te ipse non audias. Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est, ab hoste in notum non cavere: hoc est, quando oras Deum, majestatem Dei negotiâ offendere: hoc est, vigilare oculis, & corde dormire? Hæc attentio autem variè considerari solet, quia attendere possumus ad verba tantum, ad sensum verborum, sive litteralem, sive spirituales, & mysticam, vel ad Deum nobis præsentem, Christumque horarum mysteriis præsentatum, vel ad res quæ petuntur: verbi gratia castitatem, humilitatem, charitatem, divinam gratiam, æternam gloriam, ut post D. Thomam 2. 2. quæst. 83. artic. 3. docent Cajetanus in summa, verbo Hora, num. 9. Bravo ad regul. D. Benedicti, segmento 21. P. Mendo in sterna, dissert. 7. q. final. Prado tom. 2. Theolog. moral. cap. 30. quæst. 8. §. 2. Deinde attentio hæc duplex est; alia formalis, sive actualis; alia virtualis. Formalis dicitur cum quis actu, & respectiva considerationem retinet circa unam ex quatuor jam enumeratis. Virtualis verò est, quæ censetur manere ex vi, & ratione propositi, quo quis se applicuit ad orandum, volens uno ex quatuor illis modis attendere. Quæ intentio moraliter perseverat, donec vel expresse, vel implicite revocetur. Quibus suppositis juxta communem Moralistarum sententiam dicendum est, quamlibet ex prædictis attentionibus, prætam virtuales, sufficere ad implendum præceptum de horis canonicis, licet saluberrimum sit per inferiorum attentionum modos, tanquam gradus quosdam, ad superiorem, divinamque contemplationem niti.**

Illud tamen in præsentia difficile est, quomodo actio interna lege positiva præcipitur, cum actus interni per se imperari non possint à jure positivo, cap. sicut tuis, cap. tua nos, de simonia, dist. 1. cap. si quando 15. q. 6. cap. consilium 2. q. 5. cap. Christiana 32. q. 5. cap. evbescam 32. dist. cap. cogitationis, cap. cogitatio, de penis, dist. 1. cano-

canones etiam sacræ paginæ testimoniis firman-
tur; nam *lib. 1. Regum, cap. 16. num. 67.* legitur:
*Homines vident ea, quæ patent, Deus autem intue-
tur cor.* Et *1. ad Corinth. cap. 4. vers. 5.* *Nolite an-
te tempus iudicare, quousque veniat Dominus, qui
& illuminabit abscondita tenebrarum, & manifesta-
bit consilia cordium.* Rationem ex Aristotele *lib. 10.
Ethicor. cap. ult.* reddit D. Thomas *1. 2. q. 100.
artic. 9. in corpore;* videlicet illud solum cadere
sub præcepto, ad quod faciendum lex cogere
potest; nisi enim vis coactiva conjuncta sit cum
potestate legislativa, inutilis sanè erit hæc po-
testas, & lex ab ea lata nihil efficiet, si cogendi
vim non habeat: sed ad actus internos homo
ab homine cogi nequit, quia solum eo modo
homo hominem cogere valet, & quo cum eo
agere more humano potest; quia humanus mos
operatio est sensibilis, corporea, & externa. Nam
spiritualis separata à materia sensibili, ad Ange-
los, vel ad animas separatas pertinet: latè pro-
bantur *Castro de lege pen. lib. 2. cap. final.* Bellar-
minus *tom. 1. lib. 4. de potest. Pontif. cap. 20. &
lib. 3. de laicis, cap. 11.* Suarez *lib. 3. de legibus,
cap. 13. num. 2. & lib. 4. cap. 12. num. 4.* Sanchez
in Decal. lib. 6. cap. 2. num. 6. Vazquez *1. 2. disp.
160. cap. 2. Salas de legibus tractat. 1. disput. 9.
sect. 1. num. 3.* Azor *p. 1. instit. lib. 5. cap. 10. Co-
vat. in cap. alma mater, p. 1. §. 11. & in regula Pecca-
rum, p. 2. num. 7.* Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 13.*
Franc. Valens *in concord. juris, 2. p. disput. 4. q. 1.
sect. 5.* Igitur devotio, quæ spectat ad actum in-
ternum, non potest per Ecclesiam præcipi in præ-
senti clericis recitantes horas canonicas. Huic
difficultati ut satisfaciant Hostiensis, Abbas, Joan.
Andreas, Ancharanus, & Butrius *hic*, Durandus
in 4. dist. 15. quest. 12. num. 6. Paludanus *ibidem,
quest. 5. artic. 2. conclus. 4.* Angelus *in summa, ver-
bo Hora, num. 27.* Sylvester *eodem verbo, quest. 11.*
Rosella, & Tabiena *eod. verbo, §. 3.* affirmant,
in presenti quoad devotionem, & attentionem
internam non dari præceptum, sed consilium;
vel solum Innocentium requirere in orante re-

motionem externi impedimenti, per quod inter-
ior devotio tollatur: quod colligunt ex illis
verbis: *Quantum eis Deus dederit.* Hanc solutio-
nem sequuntur, & latius explicant Lessius *de
justitia lib. 2. cap. 37. num. 63.* Vazquez *d. disp. 60.
cap. 5. num. 27.* Franc. Valens *d. quest. 1. sect. 7.*
qui etiam aliis duobus modis responderi posse
credit. Primò asserendo, attentionem necessa-
riam esse ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ,
quatenus oratio externa, ut est actus humanus,
& liber, cum advertentia ex parte intellectus re-
quiritur ab Ecclesia, hoc modo actum interio-
rem indirectè, & per accidens ab humano jure
imperari. Atin eo eventum non est actus interior
per accidens conjunctus cum exteriori, sed per
se, qui enim sine attentione de industria recitat
per actum liberum humanum, non vult illam
actionem humano more, & liberè fieri. Deinde
respondetur, quod quotiescunque potestas hu-
mana præcipit aliquam externam operationem,
quæ ut honestè fiat, certum aliquem modum,
formamque requirit ex parte actus interioris,
non per se requisiti, sed per accidens conjuncti,
ad quem hæc potestas extendi non valet de jure
naturali, suboritur obligatio adjungendi neces-
sarium, ne per actum inhonestum præcepto satis-
faciamus: nam legis materia semper debet esse
honestæ, & ut talis præcipitur. Unde dum Eccle-
sia jubet sacris ordinibus initiatum, vel beneficia-
rium horas canonicas recitare, cum Ecclesia non
possit jubere nisi actionem honestam, ex hujus
præcepti impositione de recitatione externa, de-
vota, & studiosa sequitur obligatio naturalis ad-
jungendi attentionem ad illam externam oratio-
nem; siquidem honesta non est, si attentione care-
at: latè probant Thom. Bennis *de offic. inquis.
p. 1. dubit. 13. sect. 14.* Mendo *d. q. final.* Et quantum
hæc attentio necessaria ad honestatem actionis
tempore debito non conjungitur cum externa
oratione, semper obligatio superest officium repe-
tendi, quousque statutum tempus elaboratur, ut la-
tius prosequitur Franciscus Valens *dicta sect. 7.*

C A P U T X.

Honorius III. (a) *Eidem.*

SANÈ cùm olim. *Et infra:* Ne de cætero propter incuriam (b) sacerdotum in in-
devotos divina indignatio gravius exardescat, districtè præcipiendo mandamus,
quatenus à sacerdotibus Eucharistia in loco (c) singulari, mundo etiam, & signato
semper honorificè collocata, devotè, & fideliter conservetur. Sacerdos verò quilibet
frequenter doceat plebem suam, ut cùm in celebratione Missarum elevatur (d) hostia
salutaris, quilibet se reverenter (e) inclinet, idem faciens, cùm portat (f) presbyter Eu-
charistiam ad (g) infirmum, quam in decenti habitu, superposito mundo (h) velamine
ferat, & referat manifestè, ac (i) honorificè ante pectus, cum omni reverentia, & timore,
semper cum lumine præcedente, cùm sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud
omnes fides, & devotio augeatur. Pælati autem hujus mandati graviter punire
non differant transgressores, si & ipsi divinam, & nostram veliat effugere ultio-
nem. Vos autem sic observari faciatis prædicta, quod non efficiamini vindictæ parti-
cipes, sed coronæ.

N O T Æ.

(a) *Idem.*] Ita etiam legitur in quinta compi-
latione Honorii III. *sub hoc tit. cap. 1. nulli-*

bi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex; &
cùm in textu antecedenti, qui est *sub tit. de
consecrat. Eccles. vel altaris*, rescribat Honorius
Reginæ Ungariæ, hæc inscriptio non convenit
Fff 4

præ-

præsentis textûs litteræ, siquidem in eo agitur de sacerdotibus, & eorum Prælati: unde credebam, prius emanasse, editumque fuisse textum sequentem in *cap. cum creatura*, qui missus est universis Ecclesiarum Prælati, ut clericis. Unde rectè retineri poterat præfens inscriptio, si ita legatur: *Idem eisdem*. Eadem ferè tota verba reperiuntur in Concilio Salzburg, tempore Martini V. celebrato, *can. 10. Sacerdos verò quilibet plebem suam doceat diligenter, ut cum in celebratione Missarum levatur hostia salutaris, quilibet Deo devotè flectat genua sua, vel saltem se reverenter inclinet. Idem faciens cum eam portat presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat manifestè, ac honorificè antepectus, cum omni reverentia, & timore, semper nolà parvulà, & lumine, nisi locorum repugnet distantia, vel temporis qualitas, præcedentibus, ut ex hoc fides, & devotio apud homines augeantur.*

2. (b) *Incuriam sacerdotum.*] Quam reprehendit D. Franciscus *lib. 1. epist. 13.* ubi universis clericis in hæc verba scribit: [Attendamus omnes clerici magnum peccatum, & ignorantiam, quam quidam habent super sanctissimum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & sacratissima nomina, & verba ejus scripta, quæ sanctificant corpus. Scimus quia non potest esse corpus, nisi prius sanctificetur à verbo. Nihil enim habemus, & videmus corporaliter in hoc sæculo de ipso Altissimo, nisi corpus, & sanguinem, & realiter nomina, & verba, per quæ facti sumus, & redempti de morte ad vitam. Omnes autem illi, qui ministrant, tam sanctissima mysteria considerent intra se, maxime hi, qui indirectè ministrant, quàm viles sint calices, corporalia, ac lintamina ubi sacrificantur corpus, & sanguis Domini nostri; & à multis in locis vilibus relinquuntur, miserabiliter potatur, & indignè sumitur, & indiscretè aliis ministratur. Nomina etiam, & verba ejus scripta aliquando pedibus conculcantur, quia animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt. Non movemur de his omnibus pictate, cum ipse pius Dominus in manibus nostris se præbeat, & cum tractemus, & fumamus quotidie per os nostrum. An ignoramus, quia debemus venire in manus ejus? Igitur de his omnibus, & aliis, citò & firmiter emendemur: & ubicunque fuerit sanctissimum corpus Domini nostri Jesu Christi illicitè collocatum, & relictum, removeatur de loco illo, & in loco pretioso ponatur: & consignenter similiter nomina, & verba Domini scripta, & ubicunque inveniuntur in locis immundis, colligantur, & in loco honesto debeant collocari. Et scimus quia hæc omnia tenemur super omnia observare, secundum præcepta Domini, & constitutiones sanctæ matris Ecclesiæ. Et qui hoc non fecerit, sciat se coram Domino nostro Jesu Christo in die judicii reddere debere rationem. Hoc scriptum, ut melius debeat observari, sciant se benedictos à Domino Deo, qui ipsum fecerint exemplari. Dominus noster Jesus Christus omnes meos Dominos suâ sanctâ gratiâ repleat, & confortet.] Et ipsius Sancti suâ præsentem edidisse constitutionem Honorium III. credit Vvadingus *in notis ad ipsam epistolam, num. 17.*

(c) *Loco singulari.*] Hanc partem exponemus in *cap. ant. de Eucharist. custod.*

3. (d) *Elevatur hostia.*] Olim hostiæ elevatio fiebat tantum manibus Episcopi, calicis verò manibus

Diaconi, ut refertur in antiquo Ordine Romano, & notavit Menardus *ad lib. sacram. D. Gregorii*, & in Concilio Barcinon. celebrato anno 1560. jubetur, ne Diaconi solum calicem cum vino, aut patenam cum hostia tenentes, offerant in sacro Missæ sacrificio; sed id semper presbyter faciet, nisi propter senectutem, aut manuum infirmitatem. Dum elevatur hostia, campana pulsari debent, ut præsentent attentiores sint, & absentes ad orandum inclinent. Casarius Eisterbachius *lib. 9. cap. 51.* ibi: *Vido Cardinalis præcepit, ut ad elevationem hostia omnis populus in Ecclesia ad sonitum nola veniam peteret, sicque usque ad ultimas benedictionem prostratus jaceret.* Præcepit etiam idem Cardinalis, ut quoties deferendum esset ad infirmum, scholaris, sive campanarius per nolam illud proderet, sicque omnis populus, tam in fratris, quàm in domibus Christum adoraret. Quia de re extat constitutio Stephani Cantuar. Episcopi, in hæc verba: *In elevatione Christi passentur campana, ut populares, qui celebrationi Missarum non valent quotidie interesse, ubicunque fuerint, sive in agris, sive in domibus, flectant genua, indulgentias concessas à pluribus Episcopis haberi.* Simile extat Decretum Petri Patriarchæ Antiocheni anno 1367. apud Balsamonem: & in Concilio Tarraconensi celebrato anno 1106. ita cævetur: *Utemporibus generatis interdicitur, & cessationi divinorum, quando corpus Christi elevatur in qualibet Ecclesia, majus cymbalum in corporis Christi tribus vicibus, & aliis tribus vicibus in sanguinis ejusdem elevationibus pulsetur, ut populus ejusmodi signo admonitus oret genuflexo, & indulgentias acquirere valeat.* Ex Arnoldo idem probat Novarinus *in agno Eucharist. lib. 5. cap. 63.*

(e) *Inclinet.*] Genua flectendo; genuflexio enim in sacrificio Missæ jam olim recepta fuit. D. Clemens *lib. 8. constit. cap. 6.* ibi: *Et ante omnes respondeant pueri viri, & inclinantibus eis capitibus benedicat Episcopus ordinatus hujusmodi oratione.* Et *cap. 7.* ibi: *Deinde postquam signaverint in nomine Dei Patris, per Christum ejus, sequè inclinaverint, accipiant ab Episcopo benedictionem.* Plura Jodocus Coccicus *tom. 2. thesaur. artic. 60.* & nos plura adduximus *in cap. 3. de feriis*, ubi exposuimus, quibus in diebus liceat de geniculis adorare. Etiam tunc fideles manus levant. Tertul. *de spectaculis, cap. 13.* ibi: *Quale est de Ecclesia Dei in diabolo Ecclesiam rendere; illas manus, quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? Refert Novarin. in Agno Eucharist. lib. 5. cap. 63.*

(f) *Presbyter.*] Cui jure ordinario competit dispensatio Eucharistiæ, & è cujus manibus omnes communionem recipere debent, ex rationibus adductis à D. Thoma *3. part. quest. 82. art. 3. in corpore*, licet olim ex delegatione Diaconi sacramentum hoc administrarent, præcipue calicem, cum fideles communicabant sub utraque specie, *cap. pervenit 1. cap. Diaconus, 83. dist. Concil. Carthag. 4. can. 38.* ibi: *Diaconus presente presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogit, jussus erogat.* Arelat. *2. cap. 1. Gelatus in epist. ad Episcopos Lucania, cap. 10.* ibi: *Sacri corporis prærogationem, sub conspectu Pontificis, seu presbyteri, nisi his arcentibus, jus non habeant exercendi.* Illustrant latè Hallierius *de hierarch. jurisd. lib. 3. §. 4. artic. 3. P. Henao de Eucharist. dist. 13. sect. 3. Azor p. 1. instit. lib. 10. cap. 23.* licet potestatem conferendi eos habere probari videatur ex canone 2. Concilii Ancyr. relato à Cresolio *in mystag.* ubi

ubi de Diaconis agit. Sed verè textus illi accipien-
di sunt de hac dispensatione, quam olim Diaconi
faciebant. S. Justinus apolog. 2. probant, atque il-
lustrant Suarez 3. part. in 3. dist. 72. sect. 2. Bernal.
de sacram. disput. 45. sect. 2. Bulenger. ad Casaubon.
diatrib. 3. fol. 328. Vvadingus in notis ad epist. 2.
D. Francisci, Prado de Euchar. quest. 82. dub. 5. §. 2.
Circa deferendam tamen ad infirmos Euchari-
stiam, Odo Parisiens. in capitul. de sacrament. alta-
ris, can. 5. ita cavet: Non permittant presbyteri
Diaconis deferre infirmis sacrosanctum corpus Do-
mini, nisi in necessitate, cum sacerdos absens fuerit.
De quibusdam presbyteris, qui Eucharistiam tra-
debant laicis, ut deferrent ad infirmos, ita cavetur
in Concilio Rhemenfi rela. o in cap. pervenit, de
consecr. dist. 2. Pervenit ad notitiam nostram, quod
quidam presbyteri in tantum parvipendant divina
mysteria, ut laico, vel femina sacrum corpus Domi-
ni tradant ad deferendum infirmis; quibus prohi-
betur, ne sacrarium ingrediantur, neque ad altare
appropinquent, illis sancta sanctorum committuntur.
Quod quam sit horribile, quamque detestabile, om-
nium religiosorum animadversis prudentia, legitur in-
terdictum per omnia Synodus, ne talis temeraria pre-
sumptio ulterius fiat, sed omnimodis presbyter per
semetipsum infirmum communicet: quod si aliter
fecerit, gradus sui periculo subiacebit. Licet in hac
parte legamus nonnulla exempla admiranda poti-
us, quam imitanda, ut apud Eusebium lib. 6. cap.
penult. Serapionis Alexandrini senis, qui cum
ægotaret, misit puerum, à quo admonitus presby-
ter, & ipse infirmus, tradidit consecretam particu-
lam eidem puero, cujus è manu sumpsit Euchari-
stiam Serapion, juxta presbyteri mandatum. Sti-
militer & sancta Theodotista, quæ in deserto, ubi
vixerat triginta quinque annos, venatore viso, pe-
tiit ab eo, ut in vase mundo sibi acciperet unum
ex interemeratis donis corporis Domini nostri Je-
su Christi; exacto tempore redit venator, accepta-
que in pyxide parte divinæ carnis, eam tulit ad
beatam, ut que eam vidit, pronus in terra venera-
batur. Et illa: Ne homo id feceris, divinum
donum afferens: ne uras miseram, divina dede-
core afficiens, & apprehensum tunica levavit. Il-
le è sinu eduxit pyxidem cum carne Domini.
Cum illa autem in terram cecidisset, divinum do-
num accepit, & lachrymis suffusa dixit: Nunc di-
mittis ancillam tuam Domine, quoniam viderunt
oculi mei salutem tuam. Et laicos aliis hoc sa-
cramentum administrasse, ex Dionysio Alex.
& factò D. Benedicti, probat Haaphthenus in eius
vita, prolog. 18. §. 14.

6. (g) Ad infirmum.] Ut ministraretur per modum
viatici. Illud non vulgò notandum est, quod olim
infirmus ungebatur sacra unctiōe antequam
acciperet viaticum corporis, & sanguinis Domi-
ni, ut apparet ex Decreto Eusebii Papæ apud
Burchardum lib. 18. cap. 11. & Ivonem lib. 15.
cap. 35. Sacerdos impleat omnia sicut supra circa
agrotum pœnitentem scriptum est, id est orationes di-
cat, & ungat cum oleo sancto, & Eucharistiam ei
donec. Apparet etiam exponentiali Theodori
apud Burchardum lib. eod. cap. 14. & Ivonem
lib. 15. cap. 36. Et ideo secundum canonicam aucto-
ritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orati-
onibus, & consolationibus sacra cum unctiōe viatici
resiciantur. Praxis videtur in vita Caroli Magni
ex editione Pithei: Oleo sancto unctus (Carolus
Imperator) ab Episcopis, & viatico sumpto, &
omnibus suis dispositis, commendans Domino spiritum

suum obiit in pace. In vita sancti Othonis Ar-
chiepiscopi Babanbeogenfis lib. 3. cap. 45. Inve-
langnor magis, magisque spiritum lucidantem urgebat,
rit eque dispositis omnibus, quacumque post se victuris
prestare potuit, supplicis. & pura confessione prami-
sa, olea illa: & placida, & sacra unctiōe sacri olei
delibuta, propitiabile viaticum corpus Domini perce-
pit. Apud Arnoldum lib. 3. hystor. Sclavorum, cap. 3.
de obitu S. Henrici Episcopi Lubecensis: Sic
confortatus in Domino, convocatis fratribus dicebat
se iam resolvi; & accipiens sancti olei unctiōem,
manus ipse porrigebat, pedes extendebat, cum psal-
lentibus psallebat: sumptoque viatico Domini cor-
poris dixit: O Rex gloria veni cum pace. Et apud
Theodoricum lib. 4. vita Sanctæ Elizabeth uxoris
Ludovici Landgravi Turingæ, cap. 5. ubi agens de
morte ejusdem, sic ait de Landgravio: Videns igitur,
quod sibi mortis periculum immineret, vocato
Patriarcha Hierosolymitano, ab ipso sacra unctiōis
sacramentum accepit, qui ut officium solenne hoc per-
ageret, Episcopum de sancta Cruce cooperatorem
assumpsit. Peracta unctiōe sacrosancti corporis Do-
mini Jesu Christi sibi viaticum tradiderunt, quod
cum fide Catholica, & sincera devotione suscepit. In
vita S. Adalheidis lib. 1. cap. 16. Sumptis aliquantulum
viribus corporis, munus rogavit ardentius mini-
steris Ecclesiasticis. Tunc sacra olei unctiōe peracta,
Sacramentum Domini corporis humiliter, & devo-
tissime adorando percepit. Id etiam videre est in vi-
ta S. Hugonis Abbatis Cluniac. apud Surium April.
29. ubi agitur de visione S. Godefridi Episcopi
Ambianensis. Rogaturque à fratribus ut Abbatem
Hugonem oleo sancto ungeret: & Episcopali redi-
mitus infula, Missas celebrans, Domini corporis &
sanguinis et viaticum ministraret. Id statuant consti-
tutiones Riculphi Suevionensis Episcopi. Item
oportet ut presbyteri infirmos suos per confessionem &
reconciliationem oleo sancto perungant, & tunc eos
communicent. Hoc etiam constat ex vita S. Adalar-
di Abbatis Corbeiensis, apud eundem Surium
Janu. 2. Illustrant Cerdan advers. cap. 22. Menar-
dus in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol. 334.

(h) Velamine.] Superpelliceo videlicet, & stola,
ut cavetur in constitutione Joannis Cantuar.
Archiep. his verbis. Ut sacramentum Eucharistia
circumferatur cum debita reverentia ad agrotos, sa-
cra dote induto saltem superpelliceo, gerente orarium,
ac lumine prævio in lucerna, cum campana. Immo
& Sacerdotes Eucharistiam accepturi debent acce-
dere cum stola, cap. Eucharistia 11. 13. dist. Sum-
pturus sacrum corporis & sanguinis Domini nostri
Jesu Christi accederet non aliter, quam orario utroque
humero circumseptus. Concil. Herbipol. tempore
Honorii IV. Sanctissimum corpus Christi, cujus di-
gna venerationi fragilis humana non sufficit, cum
ad infirmos, vel ad mulieres vicinas parum extra cor-
pus Ecclesie deportatur, veneratione solita mandamus
venerari, videlicet, ut presbyter indutus superpelliceo
cum stola circa collum illud portet, nisi loci distantia,
& temporis qualitas secus exposcat. Clericus verò
precedat cum campanella & lumine tintinnando, ne
obviantes donec sacerdos transeat, genuflectant.

(i) Honorificè.] In vase argenteo, seu aureo,
Olim cum communicatio sub utraque specie in usu
erat, sanguinem in calice delatum fuisse constat
ex D. Clemente epist. 2. ad Jacobum fratrem, ibi:
Clericus verò solus ad fœmina tabernaculum non ac-
cedat, nec presbyter solus cum sola adjungatur; sed
duobus adductis testibus visitet infirmam: calicem
ad perferendum sanguinem Domini preparatum cum

tota ministerii munditia minister preparat, ne non bene lotus calix Diacono peccatum fiat offerenti.

p.

(k) *Lumine precedente.*] Concil. Illderdense celebratum à Cardinale Sabinenſi noſtri Honorii III. Legato anno 1219. ibi: *Sacra Euchariftia ad infirmos cum campana, & lucerna honorificè deportetur, & ſingulis octo diebus renovetur.* Si enim in ſignum ſupremæ Maieſtatis, tam apud Hebræos, quàm Romanos ignis coram Imperatoribus, & Regibus præferbatur; nam de Nabuchodonofore in lib. *Judith. cap. 3.* legitur: *Quod honoratiores urbium ſimul cum populis exeat obviam Regi venienti, cum excipientibus cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibis.* Quem morem à Romanis ulitatum fuiſſe innuit Herodianus in vita *Commodi Imperatoris*, ibi: *Commodum Caſarem ſorori ſue Lucilla honores ſervaffe, nam in theatris ſella imperatoria ſedebat, & ignis eam præcedebat.* De Julio Cæſare Suetonius in eo, *cap. 37.* ita ait: *Ascenditque Capitolium ad lumina 40. elephantis dextrâ, atque ſiniſtrâ lychnos geſtans.* De Zotico Principe Xiphilinus ait: *Lucernis quam plurimis relucenſibus ingreſſus eſt palatium.* De Juſtino Principe in ludos Circeſes prodeunte Corrippus de ipſius laudibus lib. 2. num. 8. ait:

Prænuſcius ante

Signa dedit cursor, poſitâ de more lucernâ.

Quem morem illuſtrant Juſtus Lyphius ad lib. 1. *annal. Taciti*; Demſterus ad *Reſinum lib. 1. fol. 66. ad finem*, Cochier in *face hiſt. centur. 1. cap. 20. Roa lib. 3. ſingul. cap. 26. P. Faber lib. 2. agon. ſt. cap. 10. Bulengerus de Imper. Rom. lib. 2. cap. 16. Lazius de Rep. Rom. cap. 2.* Ex qua ratione probat Theophilus tract. de *Eucharift. cap. 5. ad finem*, ritum lampadis ardentis diu noctuque ante Euchariftiam, Eſt enim ignis appoſitus aut prælatus ſignum venerationis: inde ante archam Teſtamenti ſemper lucebat candelabrum. *Exod. cap. 5.* De ſepulchris S. Felicis, S. Paulini, & aliis idem refert D. Hieronymus *epiſt. ad Riparium*, & contra *Vigilantium*, Inde magna cum ratione in præſenti jubetur, ante Chriſtum Regem Regum, & Dominum dominantium lucernam præferri debere.

COMMENTARIUM.

10.

IN præſenti textu id præcipuè intendit Honorius ſtatuerè, videlicet, ut reverenter factum Euchariftiæ ſacramentum adoretur, non ſolum cum elevatur in Miſſæ ſacrificio, verum & cum deferretur ad infirmos: adorationem enim huic præclaro, & ineffabili Sacramento negarunt impii hæretici Albigenſes, Beguardi, Piggardi, Calvinus, & Theodorus Baëza, quorum decliramenta refert Jodoc. Coccius *tom. 2. theſauri fidei cathol. artic.* Sed catholicam doctrinam circa hanc adorationem docuerunt Alex. I. *epiſt. 1. cap. 4. Nihil in ſacrificio majus eſſe poteſt, quam corpus, & ſanguis Chriſti, nec ulla oblatio hac potior eſt, ſed omnes hæc præcellit, que purâ conſcientiâ Domino offerenda eſt, & purâ mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda: & ſicut potior eſt cæteris, ita potius excoli, & venerari debet.* D. Ambroſius *lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. ibi: Non mediocris igitur*

quaſtio. & ideo diligentius conſideremus, quid ſit ſcabellum. Legimus enim *Eſaia cap. 66. Cælum mihi thronus; terra autem ſcabellum pedum meorum.* Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura Dei eſt. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam Prophetæ, quam Dominus Jeſus in carnis aſſumptione ſuſcepit: itaque per ſcabellum terra intelligatur; per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteris adoramus. D. Hieronymus in *plalmo 98. D. Bernardus de cæna Domini ad Petrum præbiterum*, ibi: *Quid facis homo indigne? quid facis homo ingratus? Adora devotius, & recole frequenter in ſacramento altaris ſalutem mundi pro te paſſam; vitam pro te mortuam, forſitudinem infernam.* Odo Parisienſis in *ſynodico conſtit. cap. 5. ibi: Frequenter moneamur laici, ut ubicunque viderimus deferricorpus Domini, ſtatim genua ſteclant, tanquam Domino Creatori ſuo, & junctis manibus quoad uſque transferat, orem.* Pluribus Eccleſiæ canonibus, & SS. PP. ſententiis probant Jodocus Coccius *d. tom. 2. lib. 6. artic. 7. Bulengerus ad Caſar. bonum diatrib. 3. fol. 227. Eſpencus lib. 2. de Eucharift. cap. 15. & 16. Suarez lib. 2. contra Regem Anglic. cap. 4. & tom. 3. in 3. p. Soccolovicus in orat. de adorat. Eucharift. Theophilus tom. 6. cap. 5. ad finem, Andreas Sauſay in Panopl. ſacerd. tit. de adorat. Eucharift. P. Henao de Eucharift. diſp. 15.* Quæ adoratio etiam ratione fulcitur; nam Chriſtum Dominum, verum Deum, & hominem unicum, & perfectam latræ adorationem adorandum eſſe ab Eccleſia, definitum eſt in Conciliis Epheliſino, Chalcedon. & aliis, & docuit Cyrillus cum Conc. Alexandrino in *epiſt. ad Neſtorium*, de excommunic. ubi ait: *Cum Verbum carni ſecundum hypotaſin unitum eſſe conſitemur, unum adoramus Filium, ac Dominum Jeſum Chriſtum.* Unde aiebat D. Paulus ad *Philippenſes ep. 2. In nomine Jeſu omne genu ſteclatur.* Unde cum de fide certiffimum ſit, Chriſtum Dominum in ſua ſpecie viſibili perfectiſſimo cultu adorandum eſſe; & etiam de fide certum ſit, eundem Chriſtum Deum hominem verè, & realiter eſſe in Euchariftia præſentem, nullus fidelis negare poteſt, Euchariftiam eodem perfectiſſimo cultu eſſe adorandam. Unde rectè in præſenti Honorius III. docet, non ſolum ſacramentum hoc, dum in Miſſæ ſacrificio elevatur, verum & cum ad infirmos deferretur, eſſe ab omnibus reverenter adorandum: quod & firmarunt Catholici Reges noſtri: Alſonſus in *l. 62. tit. 4. par. 1. D. Joan. I. in l. 3. tit. 1. lib. 1. recopil. ibi: Mandamos y ordenamos, que quando acatere que nos: ò el Principe, beredero, ò infanten nueſtros hijos, ò otros qualesquier Chriſtianos, vieremos que viene por la calle el ſancto Sacramento del cuerpo de nueſtro Senyor, que todos ſeamos tenudos de lo acompañar aſta la Igleſia de donde ſalio, è ſincar los hijos para le hazer reverencia, y eſtar aſſi aſta que aya paſſado, que no nos podamos eſcarſar por lado, ni polco, ni otra coſa alguna. E qual quiera que aſſi no lo hiziere, que pague ſeſcientos maravedis de pena, las dos partes para los Clerigos que fueren con nueſtro Senyor, y la tercera parte para la juſticia, por que aga preſta coeuncion en quien en la dicha pena. Quam ſanctionem illuſtravit Carraco ad l. 1. *Recopil. cap. 1.**

C A P U T XI.

Idem (a) *Archiepiscopis, & Episcopis, & universis aliis Ecclesiarum Prælati,*
& Clericis per Franciam Constitutis.

Cum creatura non habeat quid pro meritis respondeat Creatori, sanè accepimus, sed minimè acceptamus, quod in partibus vestris multiplicatis anniversariis defunctorum, ex quibus ea celebrantibus commodum obvenit temporale, quidam in Cathedralibus, & conventualibus Ecclesiis, prætextu Missæ semel in die pro anniversario celebrandæ, sacra Missarum solennia, quæ ratione dici, vel festi solent solenniùs celebrari, culpabili negligentia prætermittunt, quasi non sint obligati Domino, & quasi Dominus fortè pro tantis obsequiis non sufficeret eis æqua vicissitudine respondere. Certè verendum est, ne qui tanta cum nequitia & negligentia laborare noscuntur, in obstinam malitiam prolabentes, etsi non voce, quod est gravius, facto dicant: Quis est Dominus, ut serviamus ei? Cum ergo Ecclesia Gallicana per Dei gratiam tanquam lucerna super candelabrum posita luceat aliis per exemplum, qui videntes opera ejus bona glorificant Patrem cœlestem, ne, quod absit, tantæ negligentia tenebris obumbreretur, & alias consequenter obumbret, universitatem vestram rogandam duximus, & monemus per Apost. scripta v. m. quatenus universi, & singuli providè attendentes, quod servire Deo regnare est, nullum in vos torporem negligentia obrepere permittatis, quominus & pro anniversariis defunctorum, & pro (b) festo, vel feria, secundùm temporum congruentiam Missarum (c) solennia & conventualiter celebratis, & faciatis conventualiter celebrari, ut sic quodammodo sine intermissione orantes, ab eo mereamini exaudiri, qui adest omnibus in veritate invocantibus nomen suum.

N O T Æ.

1. (a) *Archiepiscopis.*] Ita restituo inscriptionem, & litteram hujus textus ex quinta compil. Honorii III. edita à Cironio *sub hoc tit. cap. 2.* ubi reperitur hic textus, & ejus integram transcripsit ipse Cironius in append. ad ipsam compilationem.

(b) *Pro festo.*] Separatim lege, ut supra in relatione; aliàs idem esset dies profectus, ac feria, juxta notata supra in cap. 4. 2.

(c) *Missarum solennia.*] Quia Missa conventualis non potest omitti, etsi dicatur alia, ut pluribus sacra Congreg. decisionibus probant Barboza in *summa Apostolic. collect. 477.* Zypcus ad hunc tit. *consult. 1.* 3.

C A P U T XII.

Idem *Archiepiscopo (a) Sipontino.*

TE referente didicimus, quod in die cœnæ Domini de antiqua teneris consuetudine chrisma (b) conficere in Ecclesia Sipontina: sed cum mane diei ejusdem ad Garganicam (c) accedas Ecclesiam, ut ibi, prout moris est, recipias peregrinos, (d) ipsius loci Clerus, & populus celebrare Missam in eadem Ecclesia Garganica prius, quam ad Sipontinam redeas, te compellunt. Super quo nostrum, & Apostolicæ Sedis consilium implorasti. Cum autem chrisma eo die intra Missarum conficiatur solennia, & cuilibet sacerdoti, quacunque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam & felix valde est qui celebrat dignè unam: f. t. m. quatenus die prædicto in Ecclesia Sipontina dumtaxat, in qua teneris chrisma (e) conficere, Missarum studeas solennia celebrare.

N O T Æ.

1. (a) *Sipontino.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap. 4.* Sipontium est civitas Archiepiscopalis regni Neapolitani, de qua Plinius *lib. 3. cap. 11.* A Sarracenis deleta fuit, & Cathedra translata fuit in Manfredoniam, ut notavit Cironius in præsentis.

(b) *Chrisma conficere.*] Chrisma enim, quod est materia remota sacramenti Confirmationis, debet consecrari ab Episcopo feriâ quintâ hebdomadæ sanctæ, ut constat ex epistola 2. Fabiani ad omnes Orientales Episcopos, qui cum veterem Chriftatis eo die consecrandi consuetudinem ab aliquibus Episcopis negligenter omitti, multorum litteris accepisset, ut graviter par erat, molestè 2.

molestèque ferens, eos non modò Romanæ Ecclesiæ, sed etiam Orientalis ritus violare demonstrat, quorum temerariam audaciam, atque præsumptionem, ut cohibeat, ex Christi Domini instituto, Apostolorumque traditione ad nos derivasse testatur his verbis: *In illa enim die Dominus Iesus postquam cenavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit. Ipsa enim lavatio pedum significat baptismum. quando sancti Chrysmatis unctio perficitur, atque confirmatur.* Quo loco intelligimus hanc consuetudinem à Christo humana libertatis vindice, & assertore præceptam, atque ab ipsis Christiana Militiæ Ducibus traditam esse, ut mirandum non sit, si plerique rerum divinarum scriptores eandem suis scriptis testatam reliquerint. Auctor enim Ordinis Romani, quem hujus secundum testem adhibemus, in die *l'v. sancti. vii. de benedict.* in commixtione olei, & balsami ipsam consecrationem in hunc ferè modum profequitur: *Oremus Dominum nostrum omnipotentem, ut hos ex diversis creaturarum speciebus liquores creatos sancta Trinitatis perfectione benedicat, & benedicendo sanctificet, &c.* Idem expressè cavetur in Concilio Toletan. *can. 6.* Vafensii. sub Leone, *can. 3.* Altissiod. *can. 6.* Vvormac. *can. 60.* Aquisgran. *2. can. 8.* Melden. *can. 46.* & in cap. *quoniam, de sentent. excom. in 6.* statuitur, chrysmata posse confici in die cœnæ, non obstante interdicto: nullus autem alius, nisi Episcopus, potest illud consecrare. Sylvester Pontifex in Synod. Rom. *can. 5.* ibi: *Nemo presbyterorum chrysmata conficiat.* Leo *epist. 86.* Concil. Tolet. *1. can. 20.* probavitate in cap. *quoniam, de consecr.* Nec Episcopus alio die illud benedicere valet, quàm in quinta feria cœnæ Domini. Nec contrarium probatur in *d. can. 20. Concilii Tolet. 1.* relato à Gratiano in cap. *omni, de consecr. dist. 4.* ibi: *Episcopus omni tempore potest chrysmata conficere.* Nam ea verba accipienda sunt, non de omni tempore utcumque, sed accommodatè de omni tempore annali, quod ad conficiendum chrysmata præscriptum est, ut exponunt Suarez *3. p. de sacrament. dist. 28. sect. 1.* Severinus Binius in *not. ad epist. Fabiani, Herrera de orig. divini offic. lib. 2. cap. 33.* Anton. August. *lib. 25. epist. tit. 7. cap. 3.* & inter alias ceremonias in consecratione chrysmatis adhibitas, quas refert Vicecomes *de ritibus Confir. lib. 1. cap. 20. 21. & 22.* Missæ sacrificium offerri usitatum fuisse, constat ex Ruperto Abbate *lib. 5. de divinis offic. cap. 18.* ibi: *Hujus verò Chrysmatis olei consecratio habet officium per se. Primo exorcizatur, deinde ad Dominum vobiscum, & Sursum corda ejus benedictio inchoatur, finiturque per Dominum nostrum.* Ubi etiam quàm in Missæ parte chrysmatis consecratio inchoaretur, & quàm desineret, apparet. Illustrat Vicecomes *d. lib. 1. cap. 22.* Unde licet Episcopus Sipontinus, de quo in præsentem, consecrare deberet Chrysmata in Ecclesia Garganica, quæ erat Cathedralis antiqua Sipontinæ unita; tamen consuetudine inductum erat, ut potius in Sipontina illud benediceret.

3. (c) Garganicam.] Mons Garganus olim Ecclesiam Archiepiscopalem habebat dicatam S. Michaeli Archangelo, ut notavit Cironius hic.

4. (d) Recipias peregrinos.] Hæc verba ex MS. codice restituit Cironius, & eam lectionem sequi-

tur, licet alibi legatur, *penitentes:* motus ex eo, quod penitentes tantum in Ecclesia Cathedrali recipiebantur, & reconciliabantur: & peregrinos frequentasse hoc templum S. Michaelis refert Baronius in *Martyrol. die 10. Maji.* Sed potius retineo vocem, *penitentes;* nam in peregrinationibus ad Ecclesiam Garganicam, aut alia similia loca factis, non legimus hanc peculiarem ceremoniam recipiendi peregrinos in die cœnæ Domini, aut hujus receptionis usum, vel finem: penitentes verò ea die recipi ab Episcopo ad reconciliationem, notum est, & nolter Honorius refert in cap. *non videtur, de offic. ordin. ibi:* *Non videtur Metropolitanum licere, ut suffraganei sui jura minuat, nec immuet, nisi super eo antiqua, & approbata consuetudine, vel speciali privilegio muniat.* Unde repugnari potest indignum, ut in die cœnæ Domini, quo debent in Ecclesia suis Episcopi chrysmata conficere, lavare, juxta exemplum Domini, pedes pauperum, & reconciliare publicè penitentes, ad Metropolitanam Ecclesiam qua per quadraginta miliaria, & amplius à se distat, Chrysmata ibidem cum Metropolitanis confecturus accedas: quamquam idem Metropolitanus, tam in tua, quàm in aliis Metropolitanis iure sibi subjectis Ecclesiis, non ex speciali privilegio, vel antiqua, & approbata consuetudine, sed ex usurpatione potius hoc obtinuisse haberi videtur. Hoc itaque olim in tua consecratione prudenter attendens, quod huic gravamini occurreres, fuisse publicè protestatus. Volentes igitur ven. in Christo fr. tuo super gravamine providere, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut ad hoc, nisi speciale privilegium exigat, vel antiqua, & approbata consuetudo requiratur, per usurpationem hujusmodi nullatenus tenearis. Ubi conjunctè chrysmatis consecrationem cum ipsa reconciliatione penitentium. Idem mos reconciliandi penitentes in quinta feria cœnæ Domini, probatur ex Innocentio I. *epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum, cap. 7.* ibi: *De penitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus penitentiam gerunt, si nulla intervenit agritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romano Ecclesia consuetudo demonstrat.* Referunt Burhardus *lib. 18. Decret. cap. 18.* Ivo Carnot. *par. 15. cap. 40.* ex B. Eligio Noviodunensi Episcopo *homil. 4. in cœna Domini,* ibi: *Uti igitur audviri vestra dilectio, hæc omni pedum lotio nostrorum peccatorum est purgatio; unde non incongrue hæc ipsa die, sicut Ecclesia tenet consuetudo, penitentium sit reconciliatio; ne enim ante nos dictum est à Patribus, cum tanta est plaga peccati, atque imperius morbi, ut medicamenta corporis, & sanguinis Domini differenda sint, auctoritate An-ristus debet se quisque ab altario removere ad aliquam penitentiam, & eadem auctoritate reconciliari.* Eandem rationem expresse PP. Synodi Cabilon. *2. can. 47.* verbis illis: *In cœna Domini à quibusdam percepto Eucharistia negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibuitur, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat; cum etiam penitentes eadem die ad percipiendam corporis & sanguinis Domini sacramenta se concilient.* Quæ postrema verba passivo significatu accipi debere jam notavit Filicacus de *Quadragesima* *can. 15.* & suadet ex Ivone Carnot. *p. 2. cap. 30.* ubi ex decretis Soteris Papa refertur hic textus, & habetur, *reconciliantur.* Idem expresse probatur ex forma ipsius reconciliationis descripta

scripta lib. 7. capitul. cap. 143. his verbis : Omnes publicè penitentes quinta feriâ ante Pascha , quæ est Cæna Domini , ad civitatem in cinere , & cilicio in præsentia Episcopi prostrato vultu conveniant , & ibi ab Episcopo canonicè & ordinabiliter , sicut in Sacramentario , & in Romano Ordine continetur , reconcilientur , atq; dijudicentur , consolenturque , & prædicentur , quid deinceps agere , quidve vitare debeant , instruantur : atque insuper divinis precibus per manus impositionem ab Episcopo sanentur. Concil. Agathense can. 9. ubi dum PP. ritus imponendæ penitentia in ipso Quadragesimæ introitu referunt , tandem addunt : In sacra autem Domini cæna rursus ab eorum Decanis , & Presbyteris , Ecclesia luminibus representetur. Et Guillelmus Parisiensis Episcopus in statutis synodalibus , num. 9. ait : Presbyteri parochianos suos solenniter penitentes faciant venire in capite jejunii ad Ecclesiam Cathedralè , ut per Episcopum solenniter ab Ecclesia ejiciantur , & simul in die Jovis proxima ante Pascha , ut per Episcopum Ecclesia reconcilientur. Illustrant Philæacus ubi supra , Herrera d. lib. 2. cap. 31. Cum ergo in præsentis textu agat Honorius de his rebus , quæ in die Cæna Domini peragi , & obiri ab Episcopo solent , rectius legitur in præsentis ; Recipias penitentes , quàm peregrinos ; cum circa peregrinos nullam specialem ceremoniam ea die in Ecclesia usitaram legamus.

3. (c) *Chrisma consecrere.* Quia ut supra dixi , ad consecrationem chrismatum Missæ sacrificium desideratur ; quod in reconciliatione penitentium non ita requiritur. Unde Episcopus potius in Sipontina Ecclesia , ubi chrisma consecrabit ; quàm in Garganica , ubi penitentes recipiebat , Missæ sacrificium offerre debebat , nec duas Missas dicere poterat , ex supra traditis in cap. consultiis , hoc it.

4. (f) *Celebrare.* In feria quinta Cæna Domini possunt presbyteri Missæ sacrificium offerre ; an verò tantum unica Missa in qualibet Ecclesia , in qua ceteri Sacerdotes communicent , debeat celebrari , disputant Francolinus de horis canonicis cap. 30. Lugo de Eucharistia disputat 20. sect. 1. num. 14. Suarez de Sacram. disp. 80. sect. 2. Azor 1. p. instit. lib. 10. cap. 24. quest. 7. P. Henao tom. 2. de sacrif. Missæ , disputat. 20. sect. 3. Andreas Saulay in Panopl. sacerdot. p. 2. lib. 1. cap. 9. qui standum esse consuetudini resolvunt. Vetus autem Ecclesiæ consuetudo fuit , ut in unaquaque Ecclesia Missa solennis à solo Sacerdote , qui præest , celebraretur , reliquis sacerdotibus , si in ea plures essent , sola communione contentis , Elicitur priscus ille mos ex ordine Romano ante annos ferme 880. edito , ubi sub tit. de Cæna Do-

mini , hæc habentur : Fratres autem oblatis communicent Presbyteri primò , postea Diaconi , & ceteri omnes . & ita perficiatur Missa. Antea florebat Alcuinus , qui in libro , quem scripsit de divinis officiis , ex veteri Ecclesiæ politia , cap. de Cæna Domini , expr. scè scribit : Dum cantatur antiphona Ad communionem , interim Clerum , & omnem populum communicare . Cui consonat liber Sacramentorum sancti Gregorii , ubi expleta chrismatum consecratione , peracti que mysteriis , hæc rubrica subjungitur : Pontifex vadit ante altare , & communicat omnis populus in ordine suo . Et verò hac die , quæ Christus Eucharistia sacrificium instituit , solus ipse sacrificavit , ceteri omnes , qui in mensa assidebant (quamvis tuac fuerint ab eo Sacerdotes ordinati) ipso porrigente divinum munus susceperunt . Ob reverentiam igitur Christi solus hac die celebrantis , & suis manibus discipulos communicantis , conveniens esse nemo pius . & prudens negaverit , ut ipsa die quilibet in Ecclesia unica liturgia celebretur ab uno , eoque primario Sacerdote , reliquis discipulorum instar assistentibus , & summâ modestiâ , & humilitate de ejus manibus suscipientibus corporis , & sanguinis agni immaculati (qui Pascha nostrum immolatus est) sacramenta veneranda . Ceterum & huic favet consilio id quod Marcus Francolinus in lib. de horis canonicis , cap. 30. num. 4. narrat suo tempore accidisse , scilicet Cardinalem Sabellium , Pontificis Vicarium in Urbe , quibusdam Sacerdotibus sacrificare volentibus in die Cæna Domini prohibuisse in ea die sacrificare . Porro Parisius contrarium morem usurpari conspeximus , & passim in Gallia : dicunt etiam in Hispania . At an procedat de facto , vel de jure , ipsi viderint , qui faciunt : excusari tamen censo ex tolerantia Episcopi , qui videt , nec prohibet . Vazquez fatetur congruentius esse , ut eo die reliqui omnes Sacerdotes , præter Præpositum , aut qui ejus legitime impediti vices gerit , à celebratione abstineant , & ad imitationem Apostolorum de manu illius , tanquam de manu Christi , Eucharistiam accipiant . Addit & monitum optimum , ubi usus prævalet , nimirum ut Sacerdotes singuli sacrum faciant feriâ 5. in Cæna Domini , ea die solum licere celebrare antequam Missa solennis finiatur , & corpus Christi in locum designatum recondatur ; nam postea mox incipit officium Parasceves ; cum statim Vesperæ dicantur : & in Parasceve in memoriam mortis , & sepulturæ Domini à celebratione sacrificii sit abstinendum . Ita Vazquez comment. in 3. p. D. Thoma. disp. 232. cap. 2. quest. 83. artic. 2.

CAPUT XIII.

Idem Archiepiscopo (a) Vpsalensi.

Perniciosus valde , sicut audivimus , in tuis partibus inolevit abusus , videlicet quod in majori quantitate (b) aqua ponitur in sacrificio , quàm de vino : cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis , plus in ipso sit de vino , quàm de aqua ponendum . Ideoque f. t. m. quatenus hoc nec de cætero facias , nec in tua provincia fieri patiaris .

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

Gggg

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) **U**psalensis. Ita etiam legitur in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. 5. Upsalensis Ecclesia est in Suecia ab Eugenio III. Archiepiscopi Cathedrâ decorata, ut refert Baronius anno 1148. cujus. Sedem tenebat temporibus Honorii III. Olaus VI. cujus vitam refert Joan. Magnus in *hisor. Upsalensi, lib. 3. in princip.*

(b) **Aqua.** Quia regiones illæ Septemtrionales vino carent, immo & aliunde exportatum vi frigoris continuò acefcit, ut refert Cironius in præfenti.

COMMENTARIUM.

Circa aquam vino miscendam in calice pro divino Missæ sacrificio celebrando duas hærefes damnavit sexta Synodus Trul. can. 32. alteram Hydroparactarum, qui aquâ solâ in calicis oblatione utebantur, de quibus Epiphanius hæresi 42. De Aquariis D. Augustinus hæresi 44. ad *Quodvultdem*, & de ecclesiâ dogmat. cap. 57. 1: *Non debet pura aqua inferi, ut quidam sobrietatis falluntur imagine; sed vinum cum aqua mixtum.* Qui hæretici sequuti fuerunt errorem Tatiani, qui vixit circa annum Domini 173. temporibus Marci Antonini Philolophi, qui assererat, aquam tantum in mysteriis adhibendam esse, docens vitem ex farina & terra germinasse. Refert Baronius anno 174. num. 3. & 257. num. 9. Alteram huic contrariam, Armenorum videlicet, qui circa annum Domini 640. docebant, nihil omnino aquæ vino miscendum esse in sacrificio Missæ; cujus erroris meminerunt Theophylactus ad cap. 19. D. Joannis, Nicephorus Calixtus lib. 18. *hisor. cap. 53.* Sed utraq; hæresis facillè convincitur primò ex contextu Evangelistarum Matthæi, Marci, & Lucæ, qui omnes tradunt, Dominum nostrum vinum in calicem infudisse, ex Concilio L. th. generali sub Innocentio III. quod refertur in cap. 1. §. una. de *summa Trinit.* ex cap. cum *Martha*, §. *quæstio*, hoc tit. Ex Concilio Carthag. 3. can. 24. ex Cypriano lib. 2. *epist. 3. ad Cecilium*, sancto Chrylostomo homil. 83. in *Matthæum*, ubi sic ait: *Sed cujus rei gratiâ non aquam, sed vinum post resurrectionem bibit, perniciosam quandam hæresim radicatus evellere voluit eorum, qui aquâ in mysteriis utuntur, ita ut ostenderet, quia, & quando hoc mysterium tradidit, vinum tradidit, & jam post resurrectionem in nuda mysterii mensa vino usus est.* Secunda refellitur ex pluribus Ecclesiæ auctoritatibus, in quibus definitur, aquam cum vino miscendam esse, juxta Domini exemplum, cap. cum *omne*, cap. in *Sacramento, de consecr. dist. 2.* Concil. Hippon. can. 25. ibi: *In sacramentis aliud non offeratur, quàm panis, & vinum aquâ mixtum.* Aurel. 4. can. 4. *Nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc sine aqua mixtum, offerre presumat, quia sacrilegium judicatur aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Altifiod. can. 8. *Non licet in altario in sacrificio divino mellinum, quod mulsam appellatur, nec ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre.* Wormat. can. 4. *Cum Magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret*

discipulis, panem tantum, & calicem sub hoc sacramento præbuisse cognoscimus: ideoque præter panem, & vinum cum aqua mixtum aliud offerri non debet; calix enim Dominicus vino, & aqua permixtus debet offerri. Tribur. can. 19. *Alex. lucc. 1104.* Evaristi dixit: *Non debet enim, ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus profuxit, ut videlicet per hoc indicet populos, qui secundum Joannem aqua sunt, à Christo, cujus sanguis in calice est, dividi non debere.* (Cujus rei veritatem in hac sancta Synodo constituitur, credimus, & confirmamus, ne ullus sine commixtione vini, & aquæ mysteria sacra conficiat. D. Hieronymus in *Marcum, cap. 14.* Damascenus lib. 4. *orthodox. fidei, cap. 14.* S. Justinus Martyr in *dialog. Tryph. & apolog. 2. ad Anon.* D. Ambrosius lib. 4. de *Sacram. cap. 4.* referunt Bironius anno 132. num. 7. Anton. Augustin. in *epit. lib. 24. tit. 1.* Vicecomes *volum. 3. de ritibus Missæ, libro 2. cap. 16.* Quæ de causâ Irenæus calicem vocat temperamentum; & prædictas hæreses damnavit Ecclesia in dicta Synodo Trul. can. 32. Florentina in decreto fidei, *sess. ultim. §. Tertium.* Tridentin. *sess. 22. de sacrif. Missæ, cap. 7.* Gregorius VII. lib. 8. *registr. epist. 1. 101:* *Quoniam vestram Armenorum Ecclesiam à rectitudine fidei, quam ab Apostolis, & Sanctis Patribus traditam Universalis Ecclesia tenet, in quadam pravitate exorbitasse sententias nobis relatum est, profectò nimium paterni affectus compassione doluimus. Quorundam siquidem relatione didicimus, in celebrandis sacrificiorum salutiferis sacramentis, aquam vino penitus apud vos non admisceri, cum nemo Christianus, qui sacra novit Evangelia, dubitet à latere Domini aquam cum sanguine emanasse. Et licet Platina, Lindanus, Polydorus Virgil. hanc mixtionem aquæ cum vino existimaverint ab Alexandro Pontifice in usu esse coepisse; verius est, Christum Dominum in calice non solum & aquam miscuisse, ut constat ex Iurgia S. Jacobi, quæ extat tom. 3. *Biblioth. veterum PP. ibi:* *Similiter postquam cenavit, accipiens calicem, & permiscens ex aqua, & vino, & aspicens in celum, ac ostendens &c.* Ex Liturgia Divi Marci illis verbis: *Postquam cenavit accipiens calicem, factaque aquæ & vini mixtione, &c.* Superante mihi præterea veterum testimonia, quæ Christum exemplo suo nostræ religionis cultores id docuisse declarant, ut S. Cyprian. *epist. 63. ad Cecil.* qui vinum mixtum declarat, id est calicem Domini aquâ, & vino mixtum prophetica voce pronunciat, ut appareat in passioni Dominica id esse gestum, quod fuerat antè prædictum. Et paucis interjectis: *Dominus adveniens, baptismi, & calicis manifestavit veritatem, cum aquam illam sibilem, aquam vite æternæ præcepit credentibus in baptismo dari; calicem vero docuerit exemplo magister sui, vini, & aquæ conjunctione misceri.* Rursus ibidem: *Admonitis nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis prior fecerit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Theodoret. *dialog. 1. In mysteriorum traditione (DEUS) corpus panem appellavit, & sanguinem id, quod corpus panem appellavit, & commixtum est.* Joanni. Damascen. lib. 4. *de fide Orthodox. cap. 14.* *Similiter accipiens calicem ex vino & aqua, tradidit illis dicens:**

Bibite

Bibite ex hoc omnes, &c. Eusebii Lugdunensis homil. 5. de Pascha. Hoc itaque Dominici sanguinis vinum aqua esse miscendum, non solum traditione Dominici, sed etiam genere passionis ostendit, ex cuius sacro latere sanguis, & aqua lancea illusione proluxit. Ex Eugenii P. IV. decreto semel atque iterum à nobis citato. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam iuxta testimonia SS. PP. atque Doctorum Ecclesie, pridem in dispensatione adhibita, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Ex quibus illud efficitur, quod antè dicebamus, Dei Ecclesiam Dominico monito, & exemplo aquam vino semper admiscuisse. Quà verò de causâ id factum sit, non obscure colligi potest ex locis Sancti Cypriani, & Eusebii superius allatis, qui (si sapio) demonstrant, sanguinis, & aqua, quæ ex Christi latere exierant, hac permixtione memoriam renovari. Atque hujus sententiæ veritas Alexandri P. auctoritate confirmatur, apud quem epistolâ ad omnes Orthodoxos hæc ratio usurpata est: *Non debet (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum; quia utrumque ex latere ejus in passione sua profusus legitur. Quæ si accuratè considerentur, amplius constabit, quod supra probandum susceperam, aqua admiscendæ auctorem Alexandrum non fuisse. Quia si ipse eum morem à Patribus, hoc est majoribus accepit (sicut in ipso legitur) qui fingi potest illum instituisse? Sed hoc obiter. Ad rationem revertamur. Docuit verò illum præter citatos Scriptores D. Ambrosius de Sacram. lib. 5. cap. 1. duminquit: *Quid sibi vult admixtio aqua? Quia de latere Christi profusus sanguis, & aqua.* Illustrat Durantius in ration. lib. 4. cap. 30. num. 71. Matthias Bredembachius lib. 4. antiperipisthis, cap. 17. Est alia præterea causâ, cur in sacris mysteriis aquam vino adhibere perpetuò sancta Ecclesia consueverit? Aqua enim, ut divinis litteris edocti sumus, populum designat. Quare aqua vino admixta fidelis populi cum Christo capite conjunctionem significat. Quod ne in dubium vocari possit, ex antiquis monumentis testes excitabo eos, quorum fides optima, & spectatissima est. Incipiam à sancto Cypriano probatæ virtutis, atque doctrinæ Scriptore, qui epist. 63. ad Cecil. disertis verbis hoc testatur inquit: *Quando in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & conjungitur: quæ copulatio, & conjunctio aqua, & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ad invicem separari. Et paulò post: Sic autem in sacrificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.* Sequitur est Jul. Papa I. cujus ex Gratiano, & Ivone decretum septimum extat in hæc verba: *Calix Dominicus juxta canonum præcepta vino, & aqua permixtus debet offerri: quia videmus populum in aqua intelligi; in vino verò ostendi sanguinem Christi.* Quid Concilium Brachar. 3. nonne & ipsum id docuit? Scriptum est enim cap. 1. mutatis à Julio verbis: *Calix Dominicus (juxta quod quidam Doctor differit) vino, & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi: in vino verò ostendi sanguinem Christi.* D. D. Gonzal, in Decretal. Tom. III. Pars II.*

sti. Ergo quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur. Et (ut cæteros prætermittam) Synodi Tribur. PP. Alexandri Pap. I. auctoritatem sequenti, cap. 19. ita caverunt: *Alexander successor Evaristi dixit: Non debet enim (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri; sed utrumque permixtum. Cujus rei veritatem in hac sancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus, ne nullus sine commixtione vini, & aqua mysteria sacra conficiat: sed ut duæ partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi: tertia aqua, per quam intelligitur infirmitas humana natura.*

Nec contrarium probat textus in cap. in sacramento 5. de consecr. dist. 2. in illis verbis: *Non amplius in sacrificio offeratur, quam de uvis, & frumento.* Ex quibus expressè deducitur, non aliud esse in mensâ sacrificio offerendum, quam id quod conficitur ex uvis & frumento; videlicet panem, & vinum. Ergo non debet adhiberi admixtio aqua. Nam ut huic difficultati respondeamus, observandum est, oblationes, quæ primis Ecclesie temporibus à fidelibus fiebant ad altare, dum Missæ sacrificium celebrabatur, esse in duplici differentia. Aliæ enim fiebant tanquam de materia Eucharistiæ ad ipsum Missæ sacrificium offerendum, in quibus nihil aliud apponi poterat, quam panis, & vinum, ex canone 3. Apostolor. capit. didicimus, de consecr. dist. 3. & aliis canonibus congestis ab Antonio Augustin. in epist. jur. lib. 24. tit. 1. Et hæc panis, & vini oblatio ad altare debebat ferri ab omnibus viris, & mulieribus in diebus Dominicis, in quibus ipsi communicabant, cap. quotidie 13. de consecr. dist. 2. quia indignum judicabant de aliena oblatione communicare, ut ex Divo Augustino sermon. 215. de tempore, notat Baronius tom. 1. annal. anno 58. num. 87. & ex aliis probavi in can. 28. Concilii Illiber. Aliæ etiam erant oblationes, quæ non fiebant de materia ordinata ad sacrificium, vel Eucharistiæ consecrandam, sed ad sustentationem ministrorum Ecclesie; & istæ fieri consueverant de frumentis, oleo, incenso, & aliis rebus, dist. can. 3. Apost. & si aliæ res offerebantur, non apponebantur in ipso altari: juxta quam Ecclesie disciplinam rectè statuitur in dist. cap. in Sacramento, ut in sacrificiis amplius non offeratur, quam de uvis, & frumentis, videlicet in altari ad sacrificium Missæ, non quia PP. Concilii Carthag. negent aquam in Missæ sacrificio adhibendam esse. Docuerunt le Maître lib. 1. de decimis, capit. 4. Corjolanus in breviario, anno 120. Menardus in notis ad librum Sacrament. D. Gregorii, fol. 147. & 173. Saulay in Panopli. sacerdot. p. 2. lib. 2. cap. 6. & 7. P. Serlogus tom. 3. in Cantici, vestig. 3. fol. 262.

Non tamen inde deducas, ut fecit Armacanus lib. 9. quæst. Armen. c. 9. referente Soto in 4. dist. 9. q. 1. artic. 6. circa secundam conclus. admixtionem aqua esse de necessitate sacramenti; siquidem contrarium verum est, & probatur ex D. Cypriano lib. 2. epist. 3. Innocent. III. lib. 4. de sacrific. Missæ, c. 32. Rubrica Missalis Rom. c. 4. de defectibus vini, n. 7. ubi dicitur, quod si Sacerdos post consecrationem calicis agnoscat non fuisse appositam aquam, nullo modo apponat; quia non est de necessitate Sacramenti. Probat cum D. Thoma 3. part. quæst. 83. artic. 6. ad 4. Bellarminus de Eucharist. charist.

charist. cap. 20. Vazquez 3. p. in 3. disput. 147. capit. 1. pluribus relatis Leander de Sacram. tract. 7. disput. 8. quest. 4. Martinez à Prado de Eucharist. quest. 74. dub. 9. Heno de Eucharist. disput. 4. sect. 2. Nullum enim extat præceptum divinum hujus mixtionis aquæ cum vino, ut perperam docuerunt Castro adversus hærefes, verbo *Eucharistia*. 7. Henric. lib. 8. summe. cap. 12. §. 4. Granados tract. 2. de Eucharist. disput. 3. n. 9. P. de Ledema eod. tract. cap. 14. n. 16. Pasqualigus disp. 91. sect. 6. & probabile dicunt Vazquez ubi supra, disput. 179. c. 2. num. 8. Nunno de Eucharist. artic. 7. num. 2. Contrarium enim, & rectius, docuerunt Suarez in 3. p. de Sacram. disp. 45. sect. 2. Leander d. tract. 7. disp. 8. q. 41. Trullench. Araujo, & Lugo laudati à Martinez de Prado in d. c. §. 2. num. 14. Nec favet contrariæ sententiæ D. Cyprian. à Gratiano relatus in cap. in sacrificando 2. de consecr. dist. 2. ubi non solum docet offerri non posse in sacrificio Missæ aquam solam, vel vinum solum; sed ait, quod si vinum tantum quis offerat, incipit esse sanguis Christi sine Christo. Ex quibus verbis deducitur, consecrationem vini sine aqua nullam esse. Nam facile textus hic exponitur, si observetur, in ipsa epistola D. Cypriani non reperiri ea verba, *sine Christo*; sed potius legi sine nobis, in hunc modum: *Si vinum tantum quæ offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, lex incipit sine Christo*. Quorum verborum sensus est, quod quando vinum solum sine aqua offertur, non significat passionem Christi profuisse nobis, hoc est, effusum fuisse sanguinem pro nobis, sive in utilitatem populi Christiani significati per aquam, ut interpretatur Turricrem. ibi. Qui considerat verba S. Cypriani etiam prout jacent apud Gratianum, posse eodem ferè sensu accipi: nam per Christum populus Christianus designatur juxta Apostolum 1. Corinth. 6. 12. Unde nullo modo negat Cyprianus, consecrationem vini sine aqua valere, sed tantum asserit, non posse offerri convenienter, & talivâ plenitudine mysticæ significationis. D. Thomas 3. p. q. 74. artic. 7. ad 1. Eodem modo intelligendus est textus in cap. cum omnes 7. de consecr. dist. 2. in illis verbis: *Non potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi miscetur*. Quæ verba referenda sunt ad necessitatem ex præcepto Ecclesiastico, ob prædictam significationem. Nec etiam favet contrariæ sententiæ canon 4. Concilii Aurel. 4. ubi postquam statuerunt PP. vinum aquam miscendum esse secundum Apostolicam traditionem, eam rationem adjiciunt: *Quia sacrilegium judicamus aliud offerri, quam in mandatis sacratissimis Salvator instituit*. Ex quibus manifestè deducitur, hanc mixtionem aquæ cum vino, non ex humana, sed divina institutione provenire. Nam respondetur, quod cum Dominus noster aquam vino miscuerit, & tali factio exem-

plum relquerit Ecclesiæ, quæ illam mixtionem aquæ fieri statim præcepit, lato modo appellatur hæc institutio divina, quia exemplo Domini facti statuta fuit: quomodo etiam accipio textus in cap. in sacramento, ubi hanc mixtionem traditionem divinam PP. Concilii Carthag. appellat, ut etiam D. Ambrosius in proem. libri de Spiritu sancto, pedum lotionem, Dominicam traditionem dicit, quia ad Christi exemplum in Ecclesia fieri solet.

Unde Pontificem posse dispensare, ut presbyter offerat Missæ sacrificium absque admixtione aquæ, resolvit Diana part. 8. tract. 1. re. sol. 12. aqua autem, quæ miscetur, debet esse in parva quantitate, ut in præsentibus docetur, & supponit Innocentius in cap. cum Martia, §. quævisisti, hoc it. ubi probabiliorum esse docet opinionem eorum, qui asserunt, aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem: quod fieri nequiret, nisi modica aqua immisceretur, ut definitum fuit ab Eugenio IV. in Decreto de unione Armen. ibi: *Materia est panis triticus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet*. Quo decreto derogatum credo canon 19. Concilii Tribur. supra relato, ubi cavebatur, ut tertita pars aquæ cum vino admisceretur. Illustrant Vazquez supra, disput. 177. cap. 2. Lugo de Eucharist. disput. 4. num. 38. Leander dicit. disput. 8. quest. 48. Martinez à Prado dicit. quest. 74. dub. 9. §. 3. per totum. Unde rectè improbat Honorius abulum presbyterorum Upsallens. qui aquam in majori quantitate offerrebant. Illud tamen in præsentibus non omitam, Græcos aquam calidam vino olim permiscuisse, ut refert Nicolaus Cabasilas in expositione liturgiæ, sic scribens: *Convocatis ad sacram cenam fidelibus, ipse primum est ejus particeps, & quotquot sunt ejusdem ordinis, & quicumque sunt ministri altaris, aqua calida prius in calicem injecta, ad significandum sancti Spiritus ad Ecclesiam descensum*. S. Germanus Patriarcha CP. in theor. rerum Eccles. ibi: *Dyscus liturgica est, in qua corpus Domini componitur à sacerdote, & Diacono, qui sunt Joseph, & Nicodemus. Aqua vero demonstrat eam, qua fixa è latere Christi: at per calorem significat fervorem sancti Spiritus; per albedinem vero sinceram fidem. Accedit testis luciplex auctor divinis mysteriorum ante consecrationem liturgiæ, quam rom. 6. Biblioth. veterum, PP. insertam legimus. In ea enim ita scriptum est: *Cum autem signaturus est panes, dicit: Et sus hunc panem, singulari numero, quemadmodum unus est Christus; cum elevaturus est, omnes simul elevat. Sic partitur oblatum primum panem, & partem ponit in sacrum calicem, & infundit aquam calidam, ut moris est*. Illustrat Vicecomes volum. 3. de ritibus Missæ, lib. 2. cap. 20.*

CAPUT XIV.

Idem Episcopo (a) Brixienfis.

Letteras tuas recepimus continentes, quod cum super excessibus Magistri Mauri presbyteri Ecclesiæ sanctæ Brigidæ Brixienfis, juxta debitum officii pastoralis inquires, (b) confessus est, quod cum quadam die hostiam, & calicem non haberet, in pane (c) fermentum

(c) fermentato, & in scypho (d) ligneo, astante populo solennia celebrare præsumpsit; quare ipsum suppositum perpetuo interdicto, consulens, ut in aliqua Ecclesia regulari mutaret in melius vitam suam. Postmodum autem illo coram ven. f. n. Ostiensi Episcopo, tunc Apostolica Sedis Legato, ut secum misericorditer ageret, supplicante, idem ad celebrationem divinorum presbyterum restituens memoratum, super suspensione beneficii causam sancti Salvarotis, & sancti Luca Præpositis Brixien. delegavit, qui ad beneficium restituerunt eundem. Deinde verò reversus de patribus transmarinis, intellecto quod prædicta Ecclesia per malitiam dicti Magistri multipliciter lædebatur, inquisitionis officium iterans, ex eius confessionibus inventi, quod idem sine (e) igne, & aqua sacrificare præsumpsit: quare quid de ipso agendum sit, nostro petiisti edoceri responso. Cùm igitur vel ex aperta malitia, vel ex nimia desipientia peccasse probetur, f. r. m. quatenus si præmissis veritas suffragatur, officio & beneficio, sub. app. obst. perpetuò ipsum privet.

NOTÆ

(a) **Brixien. si.** Ita etiam legitur in quinta Compilationone, sub hoc tit. cap. 6. & suppleendum est, *Bertholdo*, qui temporibus Honorii III. Brixiensem regerat Ecclesiam. De Brixien. Ecclesia egi in cap. tua, de procurat.

(b) **Confessus.** Sed si confessus fuit excessus, presbyter hic non rectè penam ordinariam depositionis punitur; siquidem mitius punitur qui se defert, & sponte delictum fateatur, cap. *innovuit*, de elect. l. *quisquis*, in fine, C. ad leg. jul. *Majest.* l. 1. C. *qui se deserunt*, l. non omnes, §. final. ff. de re milit. Tiraquellus de penis temper. caus. 9. num. 1. Seneca lib. 10. declamat. 3. ubi confessio, ibi remissio. Cui difficultati respondendum est, principium illud procedere in eo, qui sponte confessus sit, non verò in ipso iudicio, metu probationum: unde cùm in presenti casu Episcopus Brixien. per inquisitionem procederet ad inquirendos excessus à Mauro presbytero admittos, et si ipse de eis convictus in iudicio illos fateretur, deponi debuit, cùm non minus puniatur, qui in iudicio confessus est, quam convictus; inamò iustius, siquidem propria confessio est optima probatio, l. *cum te*, C. de probat. l. *cum à matre*, C. de R. F. l. *generaliter*, C. de non numer. pecun. cap. per tuas, de probat. probavi jam in cap. 1. de confessis.

(c) **Fermentato.** Certum est, materiam remotam sacramenti Eucharistiae esse panem, & vinum, cap. non oportet 4. de consecr. dist. 2. cap. *firmiter*, §. una verò, de summa Trinit. cap. *cum Martine*, hoc ut. panemque debere esse coctum, compositum ex farina, & aqua, & farinam debere esse triticeam, cap. in Sacramento, de consecrat. dist. 2. Trident. sess. 13. de Sacram. cap. 4. veluti qua conficitur ex *Candial*, *Rubion*, *Royo*, *Alabes*, *Membrilla*, *Arisuogro*, *Tojera*, ut probant latè Moralista de hoc Sacramento agentes, congesti à Lugo de Eucharist. disput. 9. sect. 9. Trullench. & alii congesti à Hieronymo Garcia in summa, tract. 3. dub. 4. puncto 3. Unde farinam confectam ex grano non triticeo, non esse sufficientem materiam ad consecrationem, ipsi docent, veluti farina confecta ex leguminibus, fabis, ciceribus, castaneis, avena, hordeo, milio, maïsio, lolio, farre, odica. Dubia autem materia est farina ex spelta, zeapham, sive centeno à millione; in qua qui consecraverit, peccabit lethali-ter. D. Thomas 3. p. q. 75. artic. 3. plures, quos referunt Leander de Sacram. Euchar. disput. 18. Trullench. eodem tract. lib. 2. cap. 1. dub. 1. Garcia D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

difficult. 9. p. 1. Utrum panis triticeus, qui pro materia remota sacramenti Eucharistiae desideratur, debeat esse azymus, vel fermentatus, controversum est. Græci, ut Euthymius in cap. 26. *Matthæi*, Nicephorus Calixtus lib. 1. *hist.* cap. 23. censuerunt panem fermentatum consecrandum esse, adeo ut si consecratio fiat in pane azymo, effectum non habeat; ideoque Romanæ Ecclesiæ ministros azymistas vocant. Latini verò in pane azymo consecrandum esse docent; & hanc diffensionem utriusque Ecclesiæ agnoverunt Baronius tom. 2. *annal.* anno Christi 198. §. 15. Vazquez 3. p. in 3. *disputat.* 174. num. 1. Viccomes volum. 3. de ritibus *Missæ*, lib. 2. cap. 9. Calvinus, Kemnitius, & Lutherus existimant, quæstionem hanc parvi momenti esse, atamen opinionem Græcorum probant. Catholici Græci etiam in varias distrahunt sententias, quas referunt Vazquez d. *disp.* 174. cap. 2. Espenceus de *adorat. Eucharist.* cap. 8. Bellarminus de *Eucharist.* lib. 4. cap. 10. & 11. Qui autem fermentati panis usum probant, sequentibus utuntur fundamentis. Primum est; nam translato sacerdotio caeremoniæ veteris legis sublata fuisse, cap. *translato*, ubi probavi, de *constit.* Sed ex instituto veteris legis panis azymus in sacrificiis usitatus erat: ergo in lege gratiæ censetur interdictus. Secundum; nam juxta probabilem sententiam Christus Dominus Pascha celebravit, & instituit Sacramentum Eucharistiae XI. V. Lunæ primi mensis, id est Martii, primâ vespere illius diei, ut probat Basil. Legion. in *quodlibet de Anno typico*, cap. 10. *cum sequenti*, eo autem tempore pane fermentato uti debuit, ut legis præceptum relatum in cap. 23. *Levit.* exequeretur; ergo in sacrificio Missæ pane fermentato, non azymo uti debeamus. Denique in cap. 4. *Amos*, scriptum est: *Sacrificate de fermentato laudem*. Ergo quia in pane fermentato sacrificium Missæ offerendum est.

His tamen omissis sententiis, pro vera, & catholica doctrina agnoscenda sequentes conclusiones notandæ sunt. Prima est, quod tam panis azymus, quam fermentatus sufficit ad constituendum Eucharistiae sacramentum, ut probatur expressè ex Eugenio IV. in Concilio Florentino, in decreto de unione Armen. §. *Item in azymo*. Leone IX. in *epist.* 1. *adversus præsumptiones Michaëlis Archiepisc.* CP. cap. 5. & ex Catechismo Pii V. & aliis auctoritatibus congestis à Saarez 3. p. de *Sacram.* *disput.* 44. sect. 3. Vazquez dicta *disput.* 174. cap. 3. quod etiam firmatur rationibus. Prima, nam ex communi usu panis verus uterque dicitur, quia constat ex farina

frumenti coagmentata aqua elemntari: ergo sufficit ad materiam remotam hujus Sacramenti. Secunda, quia Christus Dominus in pane azymo consecravit; nam Pascha celebravit quando ceteri Judæi, ut constat *ex cap. 26. Matthei, cap. 14. Marci, & 22. Luca:* & Sacramentum hoc instituit in postremis vespere XIV. Lunæ, ut rectius probant Franciscus Ribera *lib. 5. de Templo, cap. 3.* Vazquez ubi supra *disput. 172. cap. 3.* Suarez *dicta sect. 3.* Prado *de Eucharist. quest. 74. dub. 6.* Eo verò tempore pane azymo uti debuit juxta præceptum relatum *Levitic. cap. 23.* quod Illustrat Novarinus *in Agno Eucharist. cap. 11. & 12.* Et certum est, Christum Dominum usum fuisse pane azymo in institutione hujus Sacramenti; siquidem illud instituit in ultima cœna, die videlicet XIV. Lunæ, & ab hac vespere incipiebat solennitas Paschæ diei sequentis; in qua quidem die à præcedente vespere prohibitum fuit Judæis quicquam panis fermentati in domibus habere. *Exodi cap. 12. vers. 7.* unde consequens est, Christum Dominum non fuisse usum in illa cœna pane fermentato, sed azymo, ut ratiocinantur D. Thomas *in 4. dist. 11. quest. 2. art. 2.* Innocent. III. *lib. 4. de myst. Missæ, cap. 4.* & eo argumento pro adstruendo Latinorum usu utuntur Leo I. & Gelafius, ut referunt Nicolaus I. *epist. 42.* Hadrianus II. *epist. 9.* quas refert Baronius *tom. 11. anno 1054. cap. 11.* Crespetius *in summa, verbo Eucharistia sub azymo:* qui Græcos hæreticos, ac schismaticos appellat, quia asserbant, Sacerdotes Latinos errare celebrando in pane azymo. Secunda conclusio est, quod etiam uterque panis idoneus sit ad consecrationem; congruentior tamen est panis azymus, quo utitur Ecclesia Latina, quam fermentatus; tum quia Christus Dominus eam materiam usum fuit: tum quia ab Apostolis Ecclesia usum hunc accepit, & panem azymum sacris mysteriis destinavit, tam Græcis, quam Latinis, licet postea serpente errore Ebionitarum Ecclesia Græca hunc morem omiserit. Epiphanius *heresi 30.* Tandem, nam panis azymus nec rectius, & proprius representat mysterium, quod sub se continet; denotat enim puritatem & sanctitatem corporis Christi: item & puritatem, quam debent habere qui accedunt ad hoc sacramentum, juxta illud D. Pauli *1. ad Corinth. cap. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Siquidem azymus nullam omnino patitur corruptionem, fermentatus verò hoc ipso, quod fermentatur, aliquo modo corrumpitur, & alteratur. Ex his assertionibus inferitur, tam Græcis sacerdotibus, quam Latinis permiffum esse juxta Ecclesiæ suæ ritum consecrare, immò aliter consecrantem peccare lethaliter, & graviter puniendum esse, ex præsentis textu, & decreto Eugenii supra relato: nec prætextu necessitatis, quia videlicet Missa celebrari non possit, aut infirmus sine viatico decedat, non potest Latinus in pane fermentato, aut Græcus in pane azymo celebrare, ut resolvunt Vazquez, & Suarez *ubi proximè.* Deinde etiam controversum sit, an Sacerdos Ecclesiæ Græcæ, qui ad Latinam pervenit, velè contra, in sacrificio Missæ observare debeat ritum Ecclesiæ suæ, an illius, in qua celebrat; & in ea questione teneat Ledefma *in 4. p. 1. quest. 15. artic. 4. dub. 2.* ritum ejus Ecclesiæ esse observandum, in qua conficitur sacramentum, ex regula

textus *in cap. illa consuetudo, 12. dist.* idque alii existiment procedere, sive is factus sit incolæ regionis illius, sive peregrinus adhuc maneat, quia statuta provincia ligant etiam forenses, & advenas. In hac tamen re duo casus separandi sunt. Primus est, ubi Clericus Ecclesiæ Græcæ in Latinam domicilium transfuit animo perpetuò manendi, & vivendi more Latino: quo casu in pane azymo debet consecrari, & in omnibus aliis observationibus ritum Ecclesiæ Latinæ adimplere; nam ejus Provincia mores quisque sequi debet, in qua ipse degit. Secundus est ubi clericus unius Ecclesiæ ad aliam venit negotii causâ, aut peregrinationis: quo casu etiam quoad observationem festorum dierum, & jejuniorum ejus consuetudinem sequi debet, *d. cap. illa, junctis his quæ adducunt Covarr. lib. 4. variar. cap. 20. num. 8.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de diebus festis, cap. 13.* quoad consecrationem tamen Eucharistiæ ritum propriæ Ecclesiæ debet observare. Vazquez *d. cap. 3.* Suarez *ubi proximè:* non autem dicitur illa propria Ecclesiæ, in qua quis obiter, & veluti pertransennam degit; sed illa potius, cujus regulis, & legibus vivit. Prosequuntur latius Diana *3. p. tract. 6. resol. 99. & part. 10. tract. 16. resol. 39.* P. Henao *de Eucharist. disput. 4. in princip.* Martinez à Prado *d. 9. 74. de Eucharist. dub. 7.* Macedo *de clavibus Petri, lib. 3. cap. 15.*

Supereft tandem respondere argumentis supra adductis, quibus suadebatur, in pane azymo consecrari non posse. Non enim obstat primum ex eo deductum, quia ritus Judæorum lege Evangelicâ sublatus instaurari videatur, cum dies celebrationis Paschæ mutaretur tam à Græcis, quam à Latinis, ne fieret XIV. Lunæ, ne ita conveniret Pascha nostrum cum Pascha Judæorum, ut notavit Vazquez *dicta disput. 174. cap. 4. num. 34.* Nam respondendum est cum Anselmo *in tract. de pane azymo*, Ecclesiam Latinam non ideo pane azymo uti, ut veterem legem & ejus ritus observet; sed potius ut imitetur Christum, qui in prædicto pane consecravit, alioquin nec fermentato uti posset, cum & ille in sacrificiis veteris legis in usu esset, *cap. 7. & 23. Levitic. Nec adhuc obstat quod de mutatione Paschæ dicebamus; hæc enim mutatio, ut ait D. Ambrosius *epist. 83.* ideo facta fuit, ut jejunium celebraret Ecclesia feriâ sextâ, quâ Christus passus est in memoriam passionis illius; & ut festum Paschæ die Dominica celebraretur in memoriam resurrectionis; cum ex tunc in perpetuum celebritatem consecrata fuerit: hoc autem fieri non posset, si in ipsa XIV. Lunæ festivitas prædicta celebraretur, cum ob mutationem temporum in unam diem hebdomadæ uno anno incidat; in diversam verò in alio. Nec obstat auctoritas Amos, cui respondet Anselmus *ubi supra*, conjungenda esse illa verba cum præcedentibus, ubi sic legitur: *Venite in Galgalam, & impiè agite, & sacrificare de fermento laudum.* Ita ut contineant ironiam alloquutionem, & in illis magis exprobratur mos sacrificandi in fermentato, quam admittatur. Manet ergo, panem azymum in sacrificio altaris apud Latinos offerendum esse juxta formam præscriptam à PP. Concilii Tolet. *can. 6.* ibi: *Delatum est quod in quibusdam his partibus quidam Sacerdotum pariter honorantia impliciti, pariter temerario anjtu provocati non panes mundos, & ex studio prepartatos supra mensam**

mensam Domini in sacrificio offerant, sed passim quo modo unumquemque, aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus preparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamq; super altare cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant. &c. Temeritati huic, aut nescientia cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostrae delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit preparatus; nec grande aliquod, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo veniat. Ubi panes mundos pro probis, & bonis PP. apposuerunt, ut Imperatores Valens, & Valentinianus in l. s. C. Theodos. de annon. civ. & pane gradili: ibi: *Crisis Romanus, qui viginti panibus sordidis, qui nunc dicuntur Ardeniensis, quinquaginta nuncias comparabat, triginta & sex uncias in encellis sex mundis sine pretio consequatur.* Quam explicat Samuel Petrus ad jus Atticum lib. 4. tit. 10. fol. 385. Unde merito in praesenti beneficio privatur presbyter Latinus, qui in pane fermentato consecrare ausus fuit. Illud omittendum non duxi, quod licet in Ecclesia Latina panis consecrandus debeat esse azymus, benedicendum tamen, ut mittatur per parochias vice eulogiarum, panis fermentatus admittitur, quia ad probandam fidelium communionem sufficit hic panis fermentatus benedictus: de quo pane benedicto accipiendi sunt Innocent. I. epist. 1. cap. 5. ibi: *De fermento, quod die Dominico per ritulos mittimus, superius nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiae nostrae intra civitatem sine constitutione, quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis consecrum per acolytos accipiunt, ut se à nostra communione maxime illa die non iudicent separatos: quod per parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt sacramenta, nec nos per cetera diversa constituta presbyteris destinamus, ut & presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam.* Damasus in vita Melchias, apud Ivonem p. 2. Decreti, cap. 63. ibi: *Melchias fecit, ut oblationes consecratae per Ecclesiam ex consecratu Episcopi dirigerentur; quod declaratur fermentum.* Liber Pontificalis apud eundem Ivonem ibidem, in illis verbis: *Siricus constituit, ut nullus presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum; & ut Manichaei non participarent cum fidelibus communionem quia ore pollute non liceret sanctum corpus Domini communicare usque ad ultimum diem, quo viaticum acciperet.* Quae auctoritates accipiendae sunt de pane benedicto, non verò de consecrato in sacrificio Missae, ut notavit Severinus Binius in notis ad vitam Melchias.

(d) *Scypho ligneo.* Scyphus vas ad potandum apud antiquos erat, de quo in l. in rem. §. si quis, ff. de rei vindic. l. signi. §. 1. ff. ad exhib. l. sed si meis, in princip. ff. de acquir. dom. Virgil, 8. Aeneid.

Et sacer implevit dextram scyphus.

D. Ambrosius lib. 3. hexaemer. cap. 8. scyphum lilio similem fuisse scribit his verbis: *Considerate lilia agri, quatenus sic candor in foliis, quemadmodum stipata ipsa folia ab imo ad summum videantur assurgere, ut scyphi expriment formam.* Olium

lignici scyphi erant, postea aurei, & argentei, l. Seja, ff. de auro & argent. Scyphum pro calice acceperunt Plinius lib. 32. cap. 2. Suetonius in Nerone, cap. 47. & notavit Pancirolo lib. 1. var. cap. 58. Sed ut excessum hujus presbyteri Brixienfis depositione dignum agnoscamus, praecienda sunt aliqua de calicis materia, ulu, & antiquitate in sacrificio Missae. Et primò sciendum est, calicis vocem à materia, ex qua olim vasa conficiebantur, deductam esse, existimasse D. Isidorum lib. 20. orig. cap. 5. ibi: *Calices, & calathi, & cetera poculorum genera antea ex ligno facta, inde & vocata: Graeci enim omne lignum Kalon dicebant.* At Varro hoc poculi genus ita dictum vult, quòd veteres eo aquam calidam biberent. Aliter ex festo etymon hujus vocis illustrat Saufay in Panopl. Sacerd. lib. 8. cap. 1. Utunque sit, constat in sacris, & prophanis litteris accipi pro poculo majori, majorique vase. Genesis cap. 40. vers. 11. & lib. 3. Regum, cap. 7. apud Cicronem lib. 2. Tusci. cap. ult. ibi: *Quid hic calix mulsi?* Plautus scena 3. act. 4. ibi: *Olas, calicesq; omnes confregit, nisi quae modicae erant.* Aliqui tamen calices parviorerant, unde caliculi nomen inolevit, quo & usus est Cato de re rustica cap. 108. ibi: *Vinum si vobis experitis, duraturum sit, necne, polentam grandem, dimidiunt acerabuli in calculum nostrum indito.* Frequentius in sacra pagina ponitur calix pro ipso potu, ut apud Isaiam cap. 51. vers. 17. *Bibisti de manu Domini calicem ire ejus: usque ad fundum calicis foporis bibisti, potasti usque ad feces.* Et cap. 25. *Hieremias: Accepi calicem de manu Domini, & propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus.* Et cap. 10. *Matthaei, vers. 42. ibi: Calicem aquae frigidae.* Et Luca cap. 22. vers. 20. *Hic calix novum testamentum est.* Ubi aperta metonymia est, quae continens ponitur pro contento; nec enim vas ipsum Novum Testamentum erat, sed poculum ipsum; immò potius in calice contentus sanguis, licet Domini, Novum erat Testamentum. Unde apud Matthaeum legimus cap. 26. *Christum accepto calice, gratisque actis dixisse: Hic est sanguis meus Novi Testamenti.* In Christianorum tamen sacris obvia est calicis mentio apud primos Ecclesiae PP. ut in Liturgiis sancti Jacobi, & S. Marci: D. Paulum 1. ad Corinth. cap. 10. D. Clem. lib. 8. cap. 15. & epistol. 2. ad Jacobum: quorum, & aliorum SS. PP. verba refert Vicecomes volum. 4. de ritibus Missae, lib. 6. cap. 8.

Hucusque de nomine, & antiquitate calicis: nunc ad ejus materiam accedamus. Et primò Ecclesiae saeculis calices, & fictiles, & ligneos fuisse, auctoritatibus, & rationibus probatur; nam Ecclesia illis primis saeculis adeo paupertate premebatur, ut pretiosis calicibus comparandis illi facultates non suppetere, & cavendum erat à Gentilium invidia, ob quam non licebat nova & sumptuosa sacrificii vasa constare, ne eorum fama ad illos perveniret. Non tamen rectè his rationibus aliam adjungit Vicecomes d. lib. 6. cap. 9. quia videlicet Christus Dominus vinum consecravit, dum Eucharistiam instituit, in calice ligneo; nam potius fuisse ex pretioso lapide, agatha videlicet, probat Saufay lib. 8. Panopl. Sacerd. vel chalcedonio, quem in majori Ecclesia Valentinae civitatis, vulgò *Valencia del Zid*, asservari tradunt Scolanus decad. 1. hist. ipsius urbis, Didacus Guzman p. 1. de excel. sacrif. legis Evangel. cap. 11. Salmeron tom. 9. in Evangel. tract.

tract. 10. pag. 77. Barradas tom. 4. in Evangel. lib. 2. cap. 11. Fagundez in 1. precept. Eccles. lib. 3. cap. 21. num. 15. Herrera lib. 1. de carem. Missa, cap. 26. Illefas in histor. Pontif. lib. 5. cap. ultum. Saulay ubi supra, alii plures relati à P. Henao tom. 2. de sacrif. Missa, disput. 26. sect. 1. num. 7. Auctoritatibus etiam idem firmatur Concilii Tribur. relati in cap. vasa, de consecr. dist. 1. & Radulfi Tungrensis de canonic. obs. propos. 23. ibi: *Ab initio siquidem, cum adhuc esset novella Ecclesia, Apostoli cum sanctificatione crucis, & oratione Dominica, prout in quibusdam scripturis veteribus reperitur, & in quotidianis vestibus, & ligneis calicibus celebrabant.* In vita S. Benedicti Amianensis legitur: *Vasa ad sacrificandum corpus volebat esse argentea, siquidem primum fuerunt lignea, deinde vitrea, sic tandem ascendit ad stannea.* Probat Baronius anno 216. Corjolanus in Breviario, anno 203. § 813. Sed abrogatus fuit usus ille calicis lignei, sive propter sacramenti dignitatem, sive propter ligneæ materiæ raritatem, quæ sanguis imbibi poterat; & cœperunt usu venire calices vitrei, ut constat ex Tertul. de pudicitia cap. 7. ubi ait: *At ego pastoris ejus picturam haurio, qua non potest frangi.* Quo loco alludit Septimius ad veterem morem, quo pastor ovem humeris gestans in calicibus pingebatur, ut ibi observavit Ambianus observ. 1. ex D. Hieronymo epist. 4. ad Rusticum, ubi de B. Exuperio Episcopo Tolosano agens ait: *Nihil illo durius, qui corpus Domini canistro vimineo; calicem portat in vitro.* Plura Baronius anno 216. num. 13. Novarinus in Agno Eucharist. cap. 95. Vitreum quocumque calicem adhibebant S. Donatus, ac etiam S. Vinocus, ut in utriusque actis legimus. Epiphanius hæres. 34. & hoc instituisse Zephirinum. Damafus, & Platina in ejus vita tradunt, & refertur in d. can. 18. Concilii Tribur. ibi: *Zephirinus XVI. Romanus Episcopus patenis vitreis Missas celebrari constituit.* Et probant Severinus Binius in notis ad ipsius vitam. Corjolanus d. anno 203. Baronius in Martyrol. die 7. Augusti: licet contrarium teneat Saulay in Panop. Sacra. dicto cap. 4. artic. 1. & 2. eo levi fundamento motus, videlicet, quod si Zephirinus id statuisset, PP. Concilii Provincialis in cap. ut calix, de consecr. dist. 1. non statuisset contra Apostolicam legem, ne in calicibus vitreis Missæ sacrificium celebraretur, sed in argenteis; nam cum jam antea id constituisset Urbanus, ut refertur in d. can. 18. Concilii Tribur. potuerunt PP. Synodi Rhemenis juxta Urbani constitutionem statueri, ne in calice vitreo Missæ sacrificium celebraretur. Omisiss ergo calicibus vitreis, & ligneis, cœperunt usu venire argenti, & auri, ut constat ex Prudentio in hymno Divi Laurentii, ibi:

*Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq; nocturnis sacris
Astare fixos cereos.*

Itaque Damafus in Pontific. de Sylvestro, Constantini liberalitatem commendans refert, quod Basilicæ B. Petri donavit calices aureos tres, cum gemmis prafinis 45. pensantes singulos libras 12. metretas argenteas duas, pensantes libras ducentas: calices argenteos 20. pensantes singulos libras 10. Nec ita multo post Tertullianum, hoc est tempore S. Cypriani, qui sancto Laurentio aequalis fuit, sacra vasa argentea fuisse refert

D. Ambrosius lib. 2. offic. cap. 18. Vasorum item aurei, & argentei mentio extat in can. 63. Concilii Nicæni. translato ex Arabicis: & apud Optatum lib. 1. Augusti. epist. 165. Et Hormilda Pontifex epist. 73. ait: *Suscipimus calicem aureum, & gemmatum, patenam argenteam, & alium calicem argenteum.* Et Gregorius Turon. lib. 3. hist. Franc. cap. 10. ait: *Childebertus Rex inter reliquos thesauros ministeria Ecclesiarum pretiosissima donavit; nam 60. calices, 15. patenas, 20. Evangeliorum capsas detulit. omnia ex auro puro, & gemmis pretiosis ornata.* Illustrant Baronius in martyrol. die 7. Augusti. fol. 332. Ambianus ad Tertul. de pudicitia, cap. 6. obs. 1. Severinus Binius in notis ad Zepherinum. Cassanate ad Laetantium lib. 2. cap. 4. Monchiac. de sacr. Miss. lib. 3. cap. 6. Viccomes d. lib. 6. cap. 10. per totum. Unde prohibiti fuerunt calices ex alia materia. Leo IV. in epistola per Provincias missa presbyteris legenda, ibi: *Nullus in ligneo, plumbeo, aut vitreo calice audeat Missam agere.* Innocentius IV. anno 1254. apud Bzovium inquit: *Unquique Sacerdos in auro, vel argenteo saltem, aut saltem stanneo calice sacrificet.* S. Ildorus in epist. ad Redemptum. Concil. Covancense anni 150. tit. 3. statuit: *Ut Sacerdotes non sacrificent cum calice ligneo, vel fictili.* Londinense anni 1175. similiter decrevit, ut non nisi in calice auro, vel argenteo consecraretur, prohibetque ne aliquis Episcopus stanneum calicem amodo benedicat. Unde in capitulis Hincmari, relatis tom. 22. Concil. Regie edit. pag. 512. jubentur presbyteri inquirere, quo ex metallo sit calix, & patena; aut quâ diligentia custodiantur. Et Petrus Damianus epist. 26. conqueritur, quod nonnulli circa sacrarum utilitatem tanta negligentia sunt, & tam segnis incuria, ut stanneos, ut etiam supparis ejuscumque metalli calices longo situ icabredinis inhorrescere patienter aspiciant. An verò hodie calices stannei, vel ex ære, vulgo bronzæ, ex cupro, Hispanicè cobre, orichalco, Hispanicè laton, ò azophar, possent ad sacrificium Missæ adhiberi, disputant Lugo de Eucharist. disput. 20. sect. 4. Martinez à Prado quest. 83. dub. 18. §. 4. P. Henao tom. 2. de sacrif. Missa, disput. 26. sect. 1. Christ. Lup. ad can. 2. Concilii Epes. Amplius ultra congruum metallum desideratur in calice consecratio Episcopi cum chrisma unctio, ut supponitur in cap. sacratas 25. cap. non liceat 31. 23. dist. cap. in sancta 41. de consecr. dist. 1. cap. unic. in fine, de sacra unctio. Apud D. Hieronymum in epist. ad Theophilum Alex. Episc. ibi: *In opere tuo utilitatem spectavimus Ecclesiarum, ut discant qui ignorant, eruditus testimonius scripturarum, quâ debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deservire, sancta velamina. & cetera, quæ ad cultum pertinent Domini passionis, non quasi inania, & sensus caventia, sanctimoniam non habere.* Latè probant Azor, Fagundez, & alii relati à Barbola de jure Eccles. lib. 3. cap. 2. num. 8. Suarez, Lugo, & Tamburinus apud Henao d. disput. 26. sect. 4. num. 63. qui resolvit clericum calice non consecrato utentem in sacrificio Missæ, ab officio, & beneficio esse suspendendum; unde rectè in præfenti Honorius III. decrevit presbyterum Brixensem, qui tot excessus circa sacrificium Missæ admittit, deponendum esse ab officio, & beneficio.

(e) Igne.] Lampadum, cereorum, seu luminarium usum, non simpliciter ad tenebras pelendas,

lendas, sed ad celebritatem, ad lætitiã, ad religionem, tam Judæos, quàm Gentiles communem habuisse, latè probant Ælius Schedius de *Diis German.* cap. 28, per tot. Simon Majolus *dier. canicul. verbo ignis, fol. 281.* Stuckius de *sacrif. Gentil.* fol. 102. P. Pinto in *Cantica lib. 1. cap. 2. vers. 11. fol. 161.* Kochier in *face hist. cent. 2. cap. 1. 18. & 58.* Salazar in *hist. Gadit. lib. 3. cap. 9.* Ambian. ad *Tertul. de idololatr. cap. 25. observ. 2.* Sherlogustom. 2. in *cantica, vestig. 13. scil. unic.* Avendanno de *metu lib. 2. cap. 38.* Calfanete in *notis ad Lactantium, lib. 6. infra. cap. 2.* & supponitur in *can. 70. Apost. dum ita caveatur: Si quis Christianus oleum ad sacra Gentilium, aut synagogam Judæorum in festis eorum detulerit, aut lucernam incendit, à communione excludatur.* A quibus non mirum, si in Ecclesiam Catholicam facillè usus luminarium dimanarit, & in sacrificiis, & divinis officiis lucernæ jam ab Ecclesia cunabulis adhibeantur, instituto ordine acolytorum ad luminaria accendenda, juxta Concil. Carthag. 4. *can. 6.* relatum in *cap. acolytus, 13. dist. ibi: Ut sciat se ad accendenda luminaria mancipari.* Eundem usum luminarium in Ecclesia jam à primis ejus sæculis probant Damafus Papa in *vita Sylvestri.* Cyrillus Hierosolymit. *orat. in occurfu Domini, ibi: Latè hodie lampades ornemus, tanquam filii lucis; ceras veras lucis Christo offeramus, quoniam lumen ad revelationem Gentium apparuit; ideo lumina ex homine supra nivem resplendeamus.* Nazianz. *orat. 40.* Gregorius Magnus *lib. 12. epist. 9.* *Utile judicamus eandem missam, quæ ad aquas salvas nuncupatur, cum omnibus fundis suis deputare luminaribus Ecclesie S. Pauli.* Gregorius Turon. *lib. 5. hist. Franc. cap. 11.* de Baptismo quorundam Judæorum agens ait: *Flagrabant cerei, lampades resfulgebant, albicabat tota civitas de grege candidato.* Idem *lib. 8. cap. 10.* de translatione cadaveris Clodovei, ibi: *Convocato igitur Episcopo civitatis cum Clero & populo, ac cæcorum innumera bilium ornatu, ad basilicam S. Vincentii detulit tumulandum.* Metaphrastes die 14. Octobris, ibi: *Præterea autem universus Clerus, & omnes magistratus linguis hymnos canentes, & quas manibus gestabant, lampadibus ea illustrantes; quæ tamen magis miraculis resplendebant, quàm lampadibus.* Venantius Fortun. *lib. 1. carm. 1.* Paulinus natali 3. & 7. quorum & aliorum verba refert Sherlogus *d. vestig. 11. scil. unic.* Faciunt etiam plura, quæ de luminaribus, & lampada-

dum usu in Ecclesia recepto, contra Vigilantium, & alios hæreticos congefserunt Carrierius *tom. 2. Digest. fidei, folio 609.* Bovius *tom. 1. Roma subterr. lib. 1. cap. 18.* Zerda in *advers. cap. 92.* Cresfolius *lib. 3. mystag. cap. 21.* Bulengerius *lib. 2. opusc. cap. 11.* Becanus in *analog. cap. 13.* Crespetius in *summa, verbo Cereus, luminaria, & ignis, Beyerlinch tom. 6. verbo Sacrificium, & nos in cap. 35. Concilii Illiber. cap. 1. de offic. custod.* Sed licèt in divinis officiis in Ecclesia celebrandis semper lumen adhibitum esse legamus, hoc tamen in Missæ sacrificio semper præcedere, & adhiberi debere constat ex Concilio Tarracon. relato à Cironio in præfenti, his verbis: *Sacerdotes sanctum Missæ sacrificium sine duabus candelis accensis, & in utraq. parte altaris positis, non peragant.* Concilio Frisingen. celebrato anno 1440. *titul. de celebrat. Missar. ibi: Ut nullus divina Missarum solennia sine luminibus celebrare presumeret.* Ex Tertulliano in *Apolog. cap. 19. ibi: Post aquam manualet, & luminaria.* Quem locum de lumine in Missa omnes Interpretes exponunt. Accedunt Micrologus de *Ecclesiastic. observ. cap. 11.* dum ait: *Juxta Romanum ordinem nunquam Missæ absque divino lumine celebramus, non utique ad depellendus tenebras, cum sit clara dies; sed potius in typum illius luminis, cujus Sacramenta ibi conficimus, sine quo in meridie palpabimus, ut in nocte.* Honorius Augustodun. in *gemma anima, ibi: Lumen Spiritum sanctum significat.* Ideo cum lumine Missa celebratur, quia hoc sacramentum per Spiritum sanctum consecratur, & dignè hoc percipientes à Spiritu sancto illuminantur: lumen enim lætitiã significat. Quare in rubricis generalibus Missalis, §. 20. legitur: *Super altare collocetur crux in medio, & candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere.* Latè probant usum, & necessitatem luminis in sacrificio Missæ *Viccomes volum. 4. de ritibus Missæ, lib. 2. cap. 24.* Anton. Monchiacenus 3. p. de *sacrificio Missæ, cap. 10.* Scortia ead. *traçt. lib. 2. cap. 14.* Hieronymus Garcia in *summa, traçt. 3. difficult. 8. dub. 3.* Prado de *Eucharist. q. 83. dub. 19. §. 4.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 25. scil. 6.* qui disputant, an in lumine olei, ex adipe balenæ, ex tædis, resina, aut pice, vel ex febo, Missæ sacrificium possit celebrari.

Textum hunc exposui in *cap. 2. de confessio.*

TITULUS